MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80664-1

AUTHOR:

KRIEGER, AUGUST

TITLE:

DE AULULARIAE PLAUTINAE...

PLACE:

GISSAE

DATE:

1914

Master Negative #

92-80664-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Krieger, August, 1885-
De Aululariae Plautinae exemplari Graeco ...
Gissae, Kindt, 1914.
94 p. 23 cm.

Thesis. Giessen.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/19/92 INITIALS BG

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

De Aululariae Plautinae exemplari Graeco.

DISSERTATIO
quam ad summos in philosophia honores
a philosophorum ordine
Universitatis Ludovicianae Gissensis
impetrandos

scripsit
AUGUSTUS KRIEGER
Sonnhofensis

Gissae MCMXIV
Typis officinae aulicae et academicae Otto Kindt.

no. 1

De Aululariae Plautinae exemplari Graeco.

DISSERTATIO
quam ad summos in philosophia honores
a philosophorum ordine
Universitatis Ludovicianae Gissensis
impetrandos

scripsit
AUGUSTUS KRIEGER
Sonnhofensis

Gissae MCMXIV
Typis officinae aulicae et academicae Otto Kindt.

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine probata est
d. XXII m. Oct. MCMXIII
referente Alfredo Koerte.

PARENTUM MEMORIAE
S.

Τὸ δοκοῦν ἀληθὲς οὐχ ὅσιον προδιδόναι.
Plato.

Menandri reliquiis felici fortunae fato in Aegypto repertis operae pretium esse mihi videtur perscrutari, cuius poetae Attici exemplum Plautus expresserit in Aulularia, licet quispiam dixerit philologis has quaestiones differendas esse, dum alicuius fabulae Plautinae exemplum ipsum inveniatur.

Menandream fabulam a Plauto in Aulularia expressam esse multi viri docti coniecerunt. Sed primum eorum sententiam examinemus, qui Aululariae exemplar non Menandri esse putant. Francken teste Goetzio (Aul. ed. mai. praef. p. VII) de Posidippo cogitavit nisus illustri Athenaei loco, quo de coquis agitur (Ath. XIV 658 F) οὐδὲ γὰρ εὕροι τις ὑμῶν δοῦλον μάγειρόν τινα ἐν κωμῳδίᾳ πλὴν παρὰ Ποσειδίππῳ μόνῳ. Hoc testimonium Francken comparat cum Aul. v. 309 sq., ubi Anthrax coquus e Strobilo quaerit, possitne talentum magnum ab Euclione exorari, quo fiant liberi. Hueffner (De Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae p. 64) quamquam Athenaeo fidem non prorsus abrogandam essi dicit, tamen eum facile Aululariae exempli oblivisci potuisse putat, cum coquos non liberos esse uno tantum loco (309 sq.) dicatur. Hoc argumento nihil efficitur. Sed ideo me iudice ex Aululariae loco citato nihil cogi potest, quod a Plauto additus esse videtur. Neque enim v. 309 sq. ad contextum, in quo leguntur quadrant[1]) et Euclio eundem coquum ut liberum alloquitur v. 458 his verbis: Lege agito mecum!

[1]) cf. p. 24 adn. 2.

Quamquam ne hunc quidem locum exemplaris esse audacter contendi potest (cf. p. 46 sq.); nam Plautus tales discrepantias non fugit. Franckeni ergo argumentum infirmissimum est.

In fragmentis nonnullis in Aegypto repertis Grenfell et Hunt (The Hibeh Papyri I p. 24 sqq.) eosque secutus Blass (Mus. Rhen. 62 p. 102 sqq., vid. et. Pressler „De Plauti Aulularia“ diss. Jen. 1908 p. 30), qui haec fragmenta Philemoni tribuit, Aululariae exemplum deprehendisse sibi visi sunt, eo praecipue usi argumento, quod Strobilus quidam servus thesaurum repperisse videatur. Sed hoc argumentum per se nihil valere et Leo (Herm. 68 p. 629 sqq.) demonstravit et iis illustratur, quae Koerte (Menandrea [2] p. XXI sq.) de personarum nominibus in Menandri fabulis persaepe repetitis disseruit. Cf. porro, quae K. Gatzert („De nova comoedia quaestiones onomatologicae“, diss. Giss. 1913, p. 64 sqq.) de personarum nominibus in nova comoedia repetitis iudicat. Praeterea v. 16 sqq. illius fragmenti ad Aegyptum spectare videntur

Νῦν οἶδ' ἀκριβῶς, διότι τῆς οἰκουμένης
ἱερὰ σαφῶς αὕτη 'στιν ἡ χώρα μόνη.
κἀνθάδε κάτοικοι πάντες ἦσαν οἱ θεοί
καὶ νῦν ἔτ' εἰσὶ καὶ γεγόνασιν ἐνθάδε.

(vid. Pressler p. 32). His autem versibus in Aululariae exemplari locus fuisse non potest, cum Athenis agatur (cf. Aul. 810). Jure ergo Leo Blassi sententiam refellit [1]).

De Menandro Aululariae auctore Graeco primus, quantum scio, Ussing cogitavit (cf. ed. Plaut. vol. II p. 587 sq. s. v. corrigenda et addenda) profectus a Choricii loco (ed. Graux in Rev. de philol. 1877 p. 228) ἣ καὶ τῶν Μενάνδρῳ πεποιημένων προσώπων Μοσχίων μὲν ἡμᾶς παρθένους βιάζεσθαι, Χαιρέστρατος δὲ ψαλτρίας ἐρᾶν, Κνήμων δὲ δυσκόλους ἐποίησεν εἶναι, Σμικρίνης δὲ φιλαργύρους ὁ δεδιὼς μή τι τῶν ἔνδον ὁ καπνὸς οἴχοιτο φέρων. Quem locum feliciter confert cum Aul. v. 300 sq.:

Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,
de suo tigillo fumus siqua exit foras.

Σμικρίνης ergo φιλάργυρος ut Euclio avarus timet, ne fumus aliquid auferat. Cogendum ergo est e nostro loco Euclioni in exemplari Graeco nomen Σμικρίνης fuisse [1]). Smicrines senex similium morum atque Euclio occurrit etiam in Epitrepontibus [2]) et in Menandrea fabula, cuius fragmenta nuper inventa sunt (ed. in „Papiri Greci e Latini pubbl. della societa Italiana“ vol. II. 1913 p. 27 sqq.). In hac ut loco a Choricio citato Smicrines φιλάργυρος est cf. v. 21 (Smicr.)

ἵνα μή τις εἴπῃ μ' ὅτι φιλάργυρος σφόδρα

et v. 4 (prol.) ἀδελφὸς οἰκεῖ τοῦδε τοῦ φιλαργύρου.

Etiam Smicrines Epitrepontium exemplum sordidi hominis est cf. schol. ad Hom. Odyss. η 225: κομιδῇ γὰρ σμικρολόγος φαίνεται (sc. Odysseus) προτάσσων τῶν φιλτάτων τὴν κτῆσιν, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ Σμικρίνης ἐν 'Επιτρέπουσιν. Sed ne haereas in huiusmodi similitudinibus. Menander enim iterum atque iterum eadem nomina personis eiusdem indolis dedit (cf. Koerte Men. [2] p. XXI). Hueffner (p. 65) e totius fabulae argumento Aululariam Menandri esse coegit. Post fragmenta reperta idem iudicaverunt Pressler (p. 56), Leo (D. Monol. i. Dr. p. 55, Plaut. Forsch. [2] p. 122), Wilamowitz (Ilb. Neue Jahrb. XXI p. 34), Sudhaus (Plaut. Cantica p. 86), Koerte (Arch. f. Papyrusforsch. VI p. 227 sq.). Duo viri docti, Francken et Geffcken, iam antequam Menandri reliquiae repertae sunt Aululariae exemplum alter Ὑδρίαν, alter Δύσκολον

[1]) Leoni astipulati sunt Pressler (p. 33), H. Weil (Journ. d. Sav. 1906 p. 514 sqq.). Oblocutus est Blass (Mus. Rhen. 62 p. 102 sqq.), sed cf. Wilamowitz (Ilb. Neue Jahrb. XXI p. 34) et Leo („Der Monolog im Drama“ p. 56 adn. 7). Leonis argumenta omnia hic repetere nolo, quod Pressler iam fecit.

[1]) Geffcken (Studien zu Menander, Progr. Hamb. 1898 p. 8) Plautum Aularia Dyscolum expressisse ratus ut Choricii verba cum sua sententia coniungeret dyscolo illi, qui Euclioni Aululariae respondet, nomen Smicrini fuisse concedit, quamquam seni Dyscoli Menandreae nomen Κνήμων fuisse e Choricii loco apparet. De Geffckeni coniectura infra fusius agemus.

[2]) Quod iam Ribbeck intellexit „Agroikos“ p. 21 (Abh. d. kgl. sächs. Ges. d. Wiss. zu Leipzig, philol.-hist. Klasse X 1888), cui iniuria obloquitur Pressler (p. 56).

Menandream esse iudicaverunt. Quid hae coniecturae valeant, postquam Aululariae argumentum cum Menandri fragmentis comparavimus diiudicare conabimur.

Aululariam fere notissimam earum Plauti fabularum, quae ad nos pervenerunt, ab hominibus posterioris aetatis laudatam esse ex imitationibus multis [1]), quarum clarissima Molieri Frankogalli „l'Avare" est, cognoscitur. Sed infeliciter factum est, quod extrema fabulae pars post Nonii grammatici aetatem interiit. Praeterea in ea, quae servata est, parte tot discrepantiae insunt, ut de eius compositione alius aliam sententiam proferret. Fabulam contaminatam esse contendit Wagner (De Plauti Aulularia, diss. Bonn. 1864 p. 26) argumentis infirmis usus. Quam coniecturam iure Brixium Goetziumque secutus Pressler (p. 7) refutavit. Sed ne Goetzii quidem sententiam, qui primum (Act. soc. phil. Lips. VI p. 310 sqq.) posterioris, sed postea (praef. ed. mai. p. VIII) prioris partis retractatione fabulam turbatam esse putavit, probandam esse infra videbimus. Nisi accurata fabulae interpretatione hanc quaestionem diiudicari non posse censeo.

Ineunte Aulularia prodit Lar familiaris argumentum narrans. Leo (Pl. F. cap. IV) eorum sententiam iure refutavit, qui prologos Plautinos non ex exemplaribus sumptos esse iudicant. Poetas novae comoediae saepius divinas personas ad prologum dicendum prodeuntes fecisse constat. In Menandri Periciromena "Ἄγνοια (cf. Peric. v. 21) dea a Menandro ficta cum spectatoribus et quae antea acta sunt et qualis sit exitus fabulae communicat. Similem prologum habemus in fabula Menandrea nuper reperta, in qua Τύχη loquitur [2]). Cf. porro "Ελεγχον Menandri, Ἀέρα Philemonis, Φόβον incerti poetae (Meineke Men. et Phil. p. 284 et Koerte l. c. p. XXXVIII).

Aululariae prologum maximam partem ex exemplari desumptum esse non habeo cur negem. Sed quis illic

[1]) cf. Karl v. Reinhardstöttner „Plautus. Spätere Bearbeitung plautinischer Lustspiele" [1] p. 255 sqq., Schanz, Gesch. der röm. Lit. I 1 [3] 1907 p. 75.

[2]) Vid. infr. p. 12.

Laris munere functus sit non certum est. Wagner (p. 29) audacter Larem in Graeca fabula θεὸν πατρῷον fuisse putat. Geffcken Pana Laris loco prodiisse contendit, cum hic deus in Dyscolo (cf. Men. fr. 127 Kock) prologum dicat. Sed Pressler recte (p. 35) Geffckeni sententiam refutavit „quod nemo unquam Panem coluit deum domesticum in ipso foco, immo in silvis lucisque, atque quod in ipsa fabula plane dictum est:

Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
unde exeuntem me aspexistis."

Sed cum Lar non idem sit ac Silvanus (v. 674), cuius in luco Euclio aurum abscondit, Silvanus autem nullus alius deus nisi Pan Graeci poetae sit, Geffckeni coniectura non probanda est (cf. et. Pressler p. 36). Leo in exemplari "Ηρωα deum fuisse iudicat (Pl. F. [2] p. 211 adn. 2), quem sequitur Wilamowitz (Ilb. N. Jahrb. XXI p. 40). "Ηρως θεός tertio loco in personarum indice eius fubulae Menandri commemoratur, cui viri docti Lefeburium secuti Heros nomen recte indiderunt (cf. Koe. l. c. p. XVI et Mus. Rhen. 67 p. 478 sq.). Pressler (p. 35) Ἀπόλλωνα πατρῷον conicit, quia Lares viales (coll. Plaut. Merc. v. 865) Ἀπόλλωνι ἀγυιεῖ respondere consentaneum sit. Qua coniectura accepta melius intellegi posse v. 394 sqq.:

(Eu.) Apollo, quaeso, subveni mi atque adiuva e. q. s.

Sed primum monendum est Ἀπόλλωνα πατρῷον non cum Ἀπόλλωνι ἀγυιεῖ confundendum esse. Ἀπόλλων ἀγυιεὺς ante aedes in via colitur, sed Lar ut "Ηρως in aedibus. In foco autem umbris patrum socio eius sedes est: ibi aurum quoque abditum est. Deinde eo Pressleri argumento nihil efficitur, quod Apollo persaepe in nova comoedia invocatur cf.

Epitr. 179 Ἄπολλον καὶ θεοὶ δεινοῦ κακοῦ,
Sam. 222 ἀλλ' Ἄπολλον ἡ θύρα πάλιν ψοφεῖ,
ib. 225 Ἄπολλον μονομαχήσω τήμερον.

Non ergo Apollo, sed Heros in exemplari prodiisse videtur.

Iam quaeramus, ubi fabula acta sit. Geffcken praeoccu-

pato animo, cum Δύσκολος Phylis agatur (cf. Men. fr. 127 Kock)[1]), in illo vico eam agi coniecit. Sed eum errare ostenderunt Legrand (Rev. des ét. grecques vol. XV p. 357 sqq.) et Pressler (p. 37 sqq.). Num in parvi vici Phyles foro coquos, tibicinas omneque genus ciborum praesto esse putemus (cf. Aul. 280 sqq.)? Neque eum, qui Phylis habitat, dicere veri simile est ut Strobilus v. 810:

Quis me Athenis nunc magis
quisquamst homo quoi di sint propitii?

Cui loco Geffcken fidem prorsus abrogat. Sed ut agatur fabula Athenis, alia quaestio oritur. V. 13 legimus:

agri reliquit ei non magnum modum

(scil. avus patri Euclionis). Euclionemne ergo in ipso agro habitare putamus? Legrand iure dicit non veri simile esse fabulam ruri agi. Cui Pressler (p. 37) assentitur monens e Plauti fabulis nos scire patres familiae saepe vitam et ruri et in urbe degere. In Menandri quoque Epitrepontibus Smicrini diviti et ruri et in urbe domus est (cf. Koerte l. c. p. XX). Sed e nullo Aululariae loco cogi potest Euclioni pauperi binas aedes esse. Nihil igitur agit Pressler quaerens (p. 37) „Nonne etiam Euclioni praeter Staphylam Phaedrae nutricem fuisse unum vel complures servos putare possumus, qui coleret agrum, quamdiu ipse erat in urbe?" Hac in quaestione hoc unum certum esse mihi videtur neque v. 810 neque v. 674:

Silvani lucus extra murumst[2]) avius

ab exemplari alienos, ergo fabulam Graecam Athenis actam esse. De v. 13 iam disputabimus.

Lar familiaris vel Ἥρως προλογίζων omnia scit, quae in Euclionis aedibus facta sunt et fient. Se Larem eius domus, quam nunc Euclio habitet, iam multos annos esse profitetur. Euclionis avum sibi clam thesaurum auri in medio foco defossum concredidisse orantem, ut eum servaret. Avo mortuo patri Euclionis aurum non ostendit.

[1]) cf. etiam Wissowa „Rel. u. Kult. der Römer", ^{2} p. 169 adn. 5.
[2]) scil. Athenarum.

In v. 9 sqq. Is quoniam moritur — ita avido ingenio fuit —
Numquam indicare id filio voluit suo:
Inopemque optavit potius eum relinquere
Quam eum thensaurum commonstraret filio.
Agri reliquit ei non magnum modum,
quo cum labore magno et misere viveret.

nonnulla sunt, in quibus haerendum est. Lorenz (cf. Trautwein „De prologorum Plautinorum indole atque natura" diss. Berol. 1890 p. 11 sqq.) v. 10—12 ut spurios delet hac causa addita „Einer jener geschwätzigen Überarbeiter der Prologe, denen wir soviel fades in denselben verdanken, glaubte wohl jenes ita avido ingenio fuit recht drastisch auszumalen, wenn er sein inopemque e. q. s. dazwischen schob, und dachte nicht an die lästigen Wiederholungen". V. 9, 10, 11/12 eandem sententiam ter moleste repeti concedo. Sed nemo adhuc demonstravit Plautum tales repetitiones fugisse. Immo in his cumulationibus Romani artem nos deprehendere puto. Haereo porro in his sententiis repetitis

v. 9. Is quoniam moritur
v. 15. Ubi is obiit mortem, qui mi id aurum credidit.

Ut libere dicam quid sentiam: A v. 13 sq. non proficiscendum est, si ubi Attica fabula agatur diiudicare volumus.

Cum pater Larem curare neglegeret, aurum non invenit. Filia autem Euclionis pariter ut pater et avus Larem neglegentis unica pio animo Lari cotidie ture aut vino supplicat eumque coronis ornat. Filiae gratia Lar ut Euclio aurum reperiret effecit. Compressit enim eam Cereris vigiliis (v. 34) ante hos decem menses (cf. v. 798) adulescens summo loco natus[1]). Ille adulescens scit, quam com-

[1]) Laris verbis diiudicari non potest habitetne Lyconides in domo in scaena posita necne; pronomine „ille" de adulescente utitur (v. 30, 33, 35) ut de Euclionis filia (v. 27, 30, 36), quam apud patrem (scil. in aedibus scaenicis) habitare constat (cf. v. 691 sq.). In Peric. prologo Ignoratio dicit (v. 27 sqq.).

ἐν γειτόνων δ' οἰκοῦσα (sc. Glycera) τἀδελφοῦ τὸ μὲν
πρᾶγμ' οὐ μεμήνυκ', οὐδ' ἐκεῖνον βούλεται
. . . . εἰς μεταλλαγὴν
ἀγαγεῖν. In scaena utrumque habitare constat cf. Koerte l. c. p. XXXVII.

presserit, sed neque virgo, quis sit compressor, neque pater filiam esse stupratam. Quam sibi hodie Megadorum senem adulescentis illius avunculum uxorem poscere. His dictis Lar, cum Euclionem intus clamantem audiat, abit. Totus fere prologus exceptis versibus supra memoratis exemplaris esse mihi videtur.

Liceat mihi hic prologum novae comoediae Menandreae, de qua iam diximus, addere,

(Tyche) ἔχειν ἅπαντα τοῦτο γινώσκ [. . . . . . .
οἰκεῖ [1]) μονότροπος γραῦν ἔχων [μίαν μόνον] [1])
οὗ δ' εἰσελήλυθ' [ὁ θερ]άπων ἐντὸ[ς . . . . .
ἀδελφὸς οἰκεῖ τοῦδε τοῦ φιλαργύρου
νεώτερος τ[υχ]ὸν [1]) προσήκων κατὰ γένος
τῷ μειρακίῳ χρηστός τε τῷ τρόπῳ πάνυ
καὶ πλούσιος γυναῖκ' ἔχων καὶ παρθέον
μιᾶς πατὴρ . . . ΄σ κατέ[λιπ]εν [2]) ἔτι νέαν.
ὁ μειρακίσκος τὴν ἀδελφὴν . . . .
αὐταῖς . . . ταῖς εἰσιν ἐκτεθράμμ[εναι]
ὧν δ' [ὡς] προεῖπα χρηστὸς . ΄ ˜ . ν . [
. ω. [. .] . . τὴν ἀποδημίαν . . . . . .
οἰκεῖ . μ . . . απαντελῶς τὴν παρθένον
οὗτος συνοικίζειν νέαν . . . .
ἔμελλεν ὑφ' τῆς γυναικὸς . . . .
ἐξ ἀνδρὸς ἑτέρου . . . . δηλαδή
desunt 10 fere versus.
[ ] . αὐτὸν οἷός ἐστ' ἀνήρ,
[·] ν ἐπὶ τἀρχαῖα. λοιπὸν τοὔνομα
[το]ὐμὸν φράσαι, τίς εἰμι. πάντων κυρία
τούτων βραβεῦσαι καὶ διοικῆσαι, Τύχη.

V. 2 audimus senem quendam morosum et avarum (v. 4 et 21, cf. supra p. 7), qui appellatur Smicrines (cf. ad v. 21 in editione fragmenti), cum anu vivere In Aularia Euclio similiter moratus cum Staphyla ancilla vivit. Servum Smicrines domum suam non recepisse videtur

[1]) Koerte; v. 2 E. Fränkel quoque οἰκεῖ legi putat.
[2]) κατέλιπεν paene certum esse Vitelli dicit.

(v. 3). Senex ut Euclio in aedibus scaenicis habitat (v. 4 cf. Aul. v. 3). In scaena porro frater Smicrinis Chaereas [1]) dives (v. 7) habitat, qui uxorem duxit. Quae ei filiam peperit alteramque e matrimonio priore habet [2]). Chaereas adulescentem propinquum adoptavit libereque educat (v. 5 sq. et 11) ut in Terentii Adelphis Menandrea Micio Aeschinum. In Aulularia Megadorus similium morum atque Chaereas Menandri, Micio Terentii, in scaenae domo habitare et sororem Eunomiam post Antimachi mariti mortem (cf. Aul. v. 779 sq.) cum filio Lyconide ad se recepisse videtur [3]). Aul. v. 40 prodit Euclio, in nova fabula Menandri post Fortunae prologum Smicrines.

Quot actus Aulularia in exemplari habuerit non facile diiudicari potest, et quod Plautus exemplum satis mutavit, ut iudico, et quod extrema pars fabulae deperdita est. Non inter omnes constat fabulas poetarum novae comoediae quinos actus habuisse [4]). In Menandri fabulis singuli actus voce ΧΟΡΟΥ interposita secernuntur [5]). Tantum iam hic dicere mihi liceat Aululariam non ita dividendam esse, ut vulgo in editionibus fit.

Euclio Staphylam ancillam increpans verberibus plagisque aedibus expellit, quod aurum nuper inventum inspicere vult. In Menandri quoque fabulis senes iracundi prodeunt, qui vehementissime cum ancilla altercantur cf. Epitr. v. 522 sq. (Smicrines Sophronam ancillam increpat)

ἂν μὴ κατάξω τὴν κεφαλήν σου Σωφρόνη
κάκιστ' ἀπολοίμην.

Sam. 173 sq. (Demeas senex Chrysidi)

Κατάξω τὴν κεφαλὴν ἄνθρωπέ σου,
ἄν μοι διαλέγῃ,

[1]) cf. v. 87: οἴχετ' οὖν ὁ Χαιρέας.
[2]) cf. et. arg. Georgi, Koerte l. c. p. XLV. sq.
[3]) Fusius de hac quaestione infra agemus.
[4]) cf. H. Keym „De fabulis Terenti in actus dividendis" diss. Giss. 1911.
[5]) Hac de re cf. Bethe „Der Chor bei Menander" (Ber. üb. d. Verh. d. k. sächs. Ges. d. Wiss. z. Leipzig, phil.-hist. Kl. vol. 60 1908 p. 209 sqq.), Leo „Der Monolog im Drama" p. 50 adn. 5, Plaut. For. [2] p. 227 adn. 3, Koerte l. c. p. XXIV.

Ad Aul. v. 45; Tibi ego rationem reddam? cf. Epitr. v. 529 (Smicr.) Κρίνομαι πρὸς Σωφρόνην; Ad Aul. v. 52 sq. (Euclio):

At ut scelesta sola secum murmurat.
Oculos hercle ego istos, improba, ecfodiam tibi

cf. Epitr. v. 528 sq.: (Smicr.) οἰμώξει μακρά.
ἂν ἔτι λαλῇς τι.

Ad Aul. v. 56: Istic astato

cf. Sam. v. 183 (Demeas furore incensus Chrysidi mulieri aedibus expulsae) ἕσταθι.

Postquam Euclio intro abiit (v. 66), Staphyla eius mores mutatos miratur. Insania Euclionis animum occupavit, „decies die uno" ita ancilla ab eo aedibus expellitur.[1])

Euclio postquam aurum integrum esse sibi persuasit, domo exit (v. 79) et Staphylam intus servare iubet. Vetat eam quemquam, dum ipse absit, in aedes intromittere. Hoc consentaneum est, nam iterum atque iterum de auro timet. Sed haereo in v. 98 sqq. Amplificatio enim Plautina esse mihi videntur versus 90, cum eadem sententia non apte repetatur et amplificetur:

90. Cave quemquam alienum in aedes intromiseris
98. Profecto in aedes meas me absente neminem
volo intromitti; atque etiam hoc praedico tibi,
si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris,
— Pol ea ipsa credo ne intromittatur cavet:
Nam ad aedes nostras nusquam adiit, quamquam propest.

Porro Staphyla iam v. 89 intro abire et ianuam occludere iussa est his paucis verbis:

Abi intro, occlude ianuam.

Eadem sententia ambagibus ornata iterum occurrit v. 103 sq: Tace atque abi intro — Taceo atque abeo — Occlude sis fores ambobus pessulis.

Euclio iam v. 89 dixit: iam ego hic ero.

Eadem verba inveniuntur v. 104: iam ego hic ero. Videmus ergo causam, quae v. 105 sqq. sequitur, sententiis

[1]) Facetiae, quae v. 76 sqq. continentur, Romani poetae esse videntur. De i littera longa cf. Sommer, Handb. der lat. Laut- und Formenlehre p. 32.

e prioribus versibus petitis adiunctam esse. Miror senem loquacem v. 106 demum deliberare incipere, quid acturus sit. Mihi haec causa claudicare videtur. Sententia, quae antecedentes versus cum v. 106 sqq. coniungit, haec est: V. 104 (ut iam v. 89) implicite dictum est senem abire velle. Qua ex re, praesertim cum senex ancillam vehementissime quemquam intromittere vetet (v. 90 sqq.), facile imitator eam sententiam excogitare potuit, quae verbis superlatis bis repetitur v. 105 sq.:

Discrucior animi, quia ab domo abeundumst mihi.
Nimis[1]) hercle invitus abeo.

V. 107 sqq. audimus „magistrum curiae" argentum dividere velle. Quaeramus primum, quis sit ille „noster nostrae qui est magister curiae". Wagner (l. c. p. 15 adn. 32) Turnebum secutus magistrum curiae τριττυάρχην fuisse coniecit. Francken eumque secuti Ussing (ad. h. l.) et Wilamowitz (Arist. u. Athen II p. 215) demarchum[2]) intellegunt. Hueffner (p. 66 adn.) dubitanter phratriarchum[3]) commendat. Bendorfio (cf. Uss. ad. h. l.) magister curiae in exemplari ἐπιμελητὴς τῶν φυλῶν fuisse videtur, quam sententiam iam Ussing refutavit. Uberius de magistro curiae egit H. W. Prescott (Transact. and proceedings of the American philol. assoc. vol. XXXIV p. 41 sqq.) Hic vir doctus postquam de coniecturis iam citatis egit, pergit „It is immaterial to me at present what stood in Plautus's original". Tum demonstrare studet (p. 47) magistrum curiae fuisse „a perfectly natural term to use as familiar to Plautus and his audience as it was to the people of Lanuvium in the early centuries of the Empire". Sed magister curiae nusquam commemoratur.[4]) Quis in exemplo magister curiae fuerit Prescott non exploravit; p. 48 dicit

[1]) cf. v. 10 „nunquam" indicare id filio voluit suo" v. 102 Bona Fortuna „nusquam" adiit.

[2]) cf. Schoemann-Lipsius „Griechische Altertümer" I [4] p. 390.

[3]) cf. Schoem.-Lips. l. c. p. 335.

[4]) cf. Fredershausen „De iure Plautino et Terentiano" diss. Gott. 1906 p. 45 sq.

„This distribution, and this alone, may be pureley Grec. The rest I conceive to be a thorough Latinization of the original“. Sed his incertis opinionibus nihil agitur. Nam si nummos distribui Euclio iam in exemplari dixit, magistratum quoque ibi designari oportebat, qui eos distribuendos curavit. Aulularium Athenis actam esse veri simile est (cf. p. 10). Hueffner (p. 66) demonstravit exemplum Demetrii Phalerei aetate actum esse. Nullo autem loco traditum est illis temporibus pecuniam inter pauperes divisam esse. Neque ex hoc Aululariae loco cogi potest, ubi aurum divisum sit. Incerte v. 118 Euclio dicit: nunc quo profectus sum ibo. cf. v. 177: nescio unde homo se recipit domum.[1]) Exspecto Plautum, si hunc locum in exemplari invenisset, Euclionem dicentem inducere se in forum abire, ut v. 273, vel in Piraeum, ut Trin. v. 1103, vel quocumque loco argentum distribuebatur. Plautus enim loca Attici exempli servare solet (cf. Aul. 810). Deinde personae Menandri abeuntes numquam de eis, quae facturae sunt, tot verba faciunt quot hic Euclio, causam breviter addere solent. Smicrines in Epitrepontibus v. 153 postquam rem servorum diiudicavit abit nulla omnino causa addita. Causam exeundi eum fortasse antea, cum solus in scaena esset, cum spectatoribus communicavisse non nego. Quomodo Menander causas abeundi proferat, his locis illustrabo.

Epitr. v. 246 Syriscus servus abit haec tantum locutus:

ἥξ]ω διαδραμών[2]), εἰς πόλιν γὰρ ἔρχομαι
νυ]νί, περὶ τούτων εἰσόμενος τί δεῖ ποεῖν.

Ib. v. 456 Abrotonon his dictis cum Sophrona in aedes abit

ἵνα καὶ τὰ λοιπὰ πάντα μου πύθῃ σαφῶς.

Georg. v. 21 adulescens abit haec locutus:

ἀλλ' ἐκποδὼν ἄπειμι καὶ βουλεύσομαι
τοῦτ' αὔθ', ὅπως δεῖ διαφυγεῖν με τὸν γάμον.

---

[1]) cf. v. 119.

[2]) cf. Aul. v. 89: iam ego hic ero.

Peric v. 108 Davus servus a Moschione iussus (cf. ib. v. 105) in aedes abit hoc dicto: πορεύσομαι· Denique quaero: Cur poeta Euclionem infectis rebus redeuntem facit? Senex v. 107 sq. dixit:

Nam noster nostrae quist magister curiae[1])
dividere argenti dixit nummos in viros.

Sed. v. 179 sq.: nam neque quisquam curialium
venit neque magister quem dividere argentum oportuit.

V. 178 sq. eadem sententia, quae v. 105 sq. bis occurrit, tertium repetitur. Sero, v. 178, Euclio cur invitus[2]) abierit dicit:

Praesagibat mi animus frustra me ire, quom exibam domo.
Itaque abibam invitus.

Cur, si ita res se habet, abiit? Nam si nemo venire ei videbatur, nullius quoque suspicionem movere potuit (cf. v. 109 sqq.). Sed etiam v. 109 sq.:

Id si relinquo ac non peto, omnes ilico
me suspicentur, credo, habere aurum domi

et 113 sq.:

nam nunc quom celo sedulo omnes, ne sciant,
omnes videntur scire

eadem sententia non feliciter repetitur. Mirum omnino dicendi usum hac in parte esse sentio.[3])

---

[1]) Non simpliciter dicitur „magister curiae“.

[2]) cf. v. 106.

[3]) Praeter ea, quae de sententiis repetitis supra iam dixi, haec addam. Iis locis, quae in perscrutandis Plauti fabulis non exemplaris esse mihi persuasi, persaepe repetuntur eadem verba, maxime inveniuntur haec: nam, nunc, profecto; incerte dicta: credo, videor, aliquo ire (proficisci); exaggerationes: omnes, nimis, nimium, ilico, semper, quicumque, nusquam, nunquam; superlativi. E. gr. hoc loco invenitur coniunctio „nam“ v. 102, 107, 111, 113, 179, 181. „omnes“ v. 109, 113, 114, 115. Ad Romani poetae dicendi rationem illustrandam cf. Plaut. Merc. v. 225 sqq. (somnium Demiphonis), quos Plautum ad exemplum Rud. v. 593 sqq. (somnium Daemonis) de suo addidisse demonstravit F. Marx („Ein Stück unabh. Poesie des Plautus“ in Sitzber. d. Wiener Ak. d. W., ph.-hist. Kl. vol. CXL 1899 diss. VIII).

Ut summam faciam eorum, quae disputavi: causam argenti dividendi non exempli Graeci esse censeo, quamquam non male inventa esse videtur.[1]) Itaque frustra adhuc viri docti quaesiverunt quaerentque, qui magistratus exemplaris „magister curiae" fuerit a Plauto excogitatus. Quare non cum Wilamowitzio (Arist. u. Athen II p. 215) ex hac parte cogi potest Athenis eo tempore, quo Aululariae exemplum agitur, argentum divisum esse. Plautum post v. 97 in Attica fabula aliam causam invenisse, quae ei non placeret, non veri simile est. Non necesse esse iudico Euclionem ancillae explicare, quo abiturus sit. Satis erat eum dicere se iam hic fore (v. 89). Quae negotia erus habeat Staphylae nihil interest. Plautus autem senem spectatoribus causam abeundi exponentem fingit v. 105 sqq.: haec est alia res.

Secundo fabulae actu in scaenam e Megadori domo prodeunt Megadorus senex et Eunomia soror eius. Novum actum in exemplo hic coepisse non est veri simile, cum pars antecedens fabulae satis brevis sit. Neque Plautum ipsum hic primi actus finem fecisse constat.[2]) Men. Georg. v. 21 abit adulescens, prodit in scaenam vacuam (v. 22) Myrrina cum Philinna anicula, cui filiae difficilem condicionem aperit voce ΧΟΡΟΥ non interposita. Aululariae loco, de quo agimus, similiter res se habet: Ut Georg. v. 21 adulescens, sic in Aululariae exemplari post v. 97 Euclio abiit, ut scaena vacua fiat iis, quae iam insequuntur.

E. gr. illic socorditer repetitur verbum „capra" v. 229, 230, 236, 238, 240, 246, 250, 253, 268; „simia" v. 233, 234, 241, 242, 249, 269, 276. Leoni assentiri non possum (Pl. F.[2] p. 162 sqq.).

[1]) Cf. inter se Sophoclis et Euripidis Electrae choros (Kaibel Soph. El. p. 63). Soph. mulieres Electrae aequales prodeuntes fecit, Euripides virgines Argivas, quae Electram ad diem Herae festum invitant. Euripidis causa melius excogitata esse videtur. Sed in eius fabula virgines manent Herae diem festum oblitae, quod cur faciant non intellegitur. Causam desideramus, qua adductae non abeunt, quod nuntio allato eas facere exspectamus (cf. Kaib. p. 56). In hoc imitatorem prehendimus.

[2]) cf. quae Keym l. c. p. 6 de actibus distribuendis apud Terentium disputat.

Eunomia fratrem uxorem ducere iubet. Megadorus ei non obloquitur, sed cum satis dives sit, filiam Euclionis pauperis uxorem sibi sumere constituit. Fundamentum huius scaenae Graeci poetae esse censeo[1]). In Menandri Adelphis Micio liberalis similiter atque hic Megadorus „de nuptiis non gravatur", ut Donatus ad Ter. Ad. v. 938 adnotat[2]). Men. Georg. v. 21 sq. Myrrina matrona e domo sua cum Philinna exiens haec dicit:

ἀλλ' ὡς πρὸς εὔνουν ὦ Φίλιννα τοὺς λόγους
ποουμένη σε πάντα τἀμαυτῆς λέγω e. q. s.[3])

Ad Aul. 176 sq. (Meg.): Ego conveniam Euclionem, si domist.
Sed eccum

cf. Georg. v. 31 sq. (Myrrina Davum redeuntem conspicata)

κατὰ τύχην προσέρχεται
ἡμῖν ὁ θεράπων ἐξ ἀγροῦ[4]) Δᾶος.

Sam. v. 65 sq. (Demeas senex)

ἀλλ' εἰς καλὸν γὰρ τοῦτον εἰσιόνθ' ὁρῶ
τὸν Παρμένοντ' ἐκ τῆς ἀγορᾶς[4]).

---

[1]) Nonnulla Plautina esse puto. Sic mihi ioculandi causa additi esse videntur v. 124—126, qui moleste sermonis contextum versuum 123 et 127 interrumpunt, 136—142 additi, ni fallor, ad vocem optuma v. 135; obloquuntur v. 141 sq. v. 135; molestas porro esse sentio v. 150—164 hac ratiocinatione facta: Fieri non potest, si quid video, ut Graecus poeta senem primum asperrimis verbis uxorem repudiantem, deinde (inde a v. 165) se Euclionis filiam uxorem sibi iam elegisse dicentem fecerit (cf. et. Donat. ad Ter. Ad v. 938), quamquam v. 155—157 similes sunt Hipponactis illis δύ' ἡμέραι γυναικός εἰσιν ἥδισται, ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν. Neque Eunomiam mulierem certam ut Aul. v. 158 sqq. in animo habuisse puto. Immo Plautus facetias suas rudes v. 161 sqq. addere voluit. Recte iam Wagner (l. c. p. 15 adn. 32) coniecit iocum, qui in Postumi nomine est, e Graeca fabula petitum esse non posse. Neque dicendi rationem neglegas velim.

[2]) Fortasse non supervacaneum est addere in Menandri Adelphis Hegionem fratrem Sostratae induci (vid. Don. ad Ter. Ad. v. 351), qui ipse prodiit (cf. Ter. Ad. v. 447). Omnino personae, quae prodeunt in Menandri fabulis, saepe fratres et sorores vel cognati sunt.

[3]) cf. et. Men. fr. 135 Kock infr. p. 88.

[4]) Sed Aul. v. 176 incerta verba leguntur.

Ut summam faciam eorum, quae disputavi: causam argenti dividendi non exempli Graeci esse censeo, quamquam non male inventa esse videtur.[1]) Itaque frustra adhuc viri docti quaesiverunt quaerentque, qui magistratus exemplaris „magister curiae" fuerit a Plauto excogitatus. Quare non cum Wilamowitzio (Arist. u. Athen II p. 215) ex hac parte cogi potest Athenis eo tempore, quo Aululariae exemplum agitur, argentum divisum esse. Plautum post v. 97 in Attica fabula aliam causam invenisse, quae ei non placeret, non veri simile est. Non necesse esse iudico Euclionem ancillae explicare, quo abiturus sit. Satis erat eum dicere se iam hic fore (v. 89). Quae negotia erus habeat Staphylae nihil interest. Plautus autem senem spectatoribus causam abeundi exponentem fingit v. 105 sqq.: haec est alia res.

Secundo fabulae actu in scaenam e Megadori domo prodeunt Megadorus senex et Eunomia soror eius. Novum actum in exemplo hic coepisse non est veri simile, cum pars antecedens fabulae satis brevis sit. Neque Plautum ipsum hic primi actus finem fecisse constat.[2]) Men. Georg. v. 21 abit adulescens, prodit in scaenam vacuam (v. 22) Myrrina cum Philinna anicula, cui filiae difficilem condicionem aperit voce ΧΟΡΟΥ non interposita. Aululariae loco, de quo agimus, similiter res se habet: Ut Georg. v. 21 adulescens, sic in Aululariae exemplari post v. 97 Euclio abiit, ut scaena vacua fiat iis, quae iam insequuntur.

E. gr. illic socorditer repetitur verbum „capra" v. 229, 230, 236, 238, 240, 246, 250, 253, 268; „simia" v. 233, 234, 241, 242, 249, 269, 276. Leoni assentiri non possum (Pl. F.[2] p. 162 sqq.).

[1]) Cf. inter se Sophoclis et Euripidis Electrae choros (Kaibel Soph. El. p. 63). Soph. mulieres Electrae aequales prodeuntes fecit, Euripides virgines Argivas, quae Electram ad diem Herae festum invitant. Euripidis causa melius excogitata esse videtur. Sed in eius fabula virgines manent Herae diem festum oblitae, quod cur faciant non intellegitur. Causam desideramus, qua adductae non abeunt, quod nuntio allato eas facere exspectamus (cf. Kaib. p. 56). In hoc imitatorem prehendimus.

[2]) cf. quae Keym l. c. p. 6 de actibus distribuendis apud Terentium disputat.

Eunomia fratrem uxorem ducere iubet. Megadorus ei non obloquitur, sed cum satis dives sit, filiam Euclionis pauperis uxorem sibi sumere constituit. Fundamentum huius scaenae Graeci poetae esse censeo[1]). In Menandri Adelphis Micio liberalis similiter atque hic Megadorus „de nuptiis non gravatur", ut Donatus ad Ter. Ad. v. 938 adnotat[2]). Men. Georg. v. 21 sq. Myrrina matrona e domo sua cum Philinna exiens haec dicit:

ἀλλ' ὡς πρὸς εὔνουν ὦ Φίλιννα τοὺς λόγους
ποουμένη σε πάντα τἀμαυτῆς λέγω e. q. s.[3])

Ad Aul. 176 sq. (Meg.): Ego conveniam Euclionem, si domist.
Sed eccum

cf. Georg. v. 31 sq. (Myrrina Davum redeuntem conspicata)

κατὰ τύχην προσέρχεται
ἡμῖν ὁ θεράπων ἐξ ἀγροῦ[4]) Δᾶος.

Sam. v. 65 sq. (Demeas senex)

ἀλλ' εἰς καλὸν γὰρ τοῦτον εἰσιόνθ' ὁρῶ
τὸν Παρμένοντ' ἐκ τῆς ἀγορᾶς[4]).

---

[1]) Nonnulla Plautina esse puto. Sic mihi ioculandi causa additi esse videntur v. 124—126, qui moleste sermonis contextum versuum 123 et 127 interrumpunt, 136—142 additi, ni fallor, ad vocem optuma v. 135; obloquuntur v. 141 sq. v. 135; molestas porro esse sentio v. 150—164 hac ratiocinatione facta: Fieri non potest, si quid video, ut Graecus poeta senem primum asperrimis verbis uxorem repudiantem, deinde (inde a v. 165) se Euclionis filiam uxorem sibi iam elegisse dicentem fecerit (cf. et. Donat. ad Ter. Ad v. 938), quamquam v. 155—157 similes sunt Hipponactis illis δύ' ἡμέραι γυναικός εἰσιν ἥδισται,
ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν.
Neque Eunomiam mulierem certam ut Aul. v. 158 sqq. in animo habuisse puto. Immo Plautus facetias suas rudes v. 161 sqq. addere voluit. Recte iam Wagner (l. c. p. 15 adn. 32) coniecit iocum, qui in Postumi nomine est, e Graeca fabula petitum esse non posse. Neque dicendi rationem neglegas velim.

[2]) Fortasse non supervacaneum est addere in Menandri Adelphis Hegionem fratrem Sostratae induci (vid. Don. ad Ter. Ad. v. 351), qui ipse prodiit (cf. Ter. Ad. v. 447). Omnino personae, quae prodeunt in Menandri fabulis, saepe fratres et sorores vel cognati sunt.

[3]) cf. et. Men. fr. 135 Kock infr. p. 88.

[4]) Sed Aul. v. 176 incerta verba leguntur.

Non raro, ut Aul. v. 120 sqq. et Men. Georg. v. 22 sqq., in fabulis fit, ut res in vita cotidiana intus gerendae ante portam agantur cf. Lundström Eranos I p. 103 sqq. („Aussen oder innen?") Eunomia v. 120 cum Megadoro ex eius aedibus exit. Sed viri docti, quantum video, negant eam apud fratrem habitare. Quid ad eam quaestionem diiudicandam ex hac scaena lucranda sint, examinemus. Si Eunomia non in fratris domo habitat, antequam cum eo prodeat ante spectantium oculos dictum esse necesse est, quomodo in Megadori aedes venerit. Exspecto Eunomiam, quippe quae ex loco extra scaenam sito venerit, soliloquio v. 120 sqq. praemisso dicere se fratrem adire velle, ut cum eo de re, quae ad eum pertineat, scil. de nuptiis, colloquatur, deinde κατὰ τύχην ut in comoediis fit domo exeuntem alloqui. Sed nihil eiusmodi fit. E v. porro 133 (Eun.):

„Eo nunc ego secreto te huc foras seduxi" non facile colligemus Eunomiam ad fratrem venisse, ut eum viseret cf. Soph. Ant. v. 18 sq. (Antigona cum Ismena e domo regia exiens) [1]):

καί σ' ἐκτὸς αὐλείων πυλῶν [2])
τοῦδ' οὕνεκ' [3]) ἐξέπεμπον [4]), ὡς μόνη κλύοις [5]).

In exemplari Aululariae quoque fortasse verbum ἐξέπεμπον erat. Qui censet verbo „seduxi" simpliciter exprimi Graecum ἐξεκάλεσα, quod is quoque, qui visendi causa venit, facere possit, hac interpretatione vim infert huic loco: Plautus tum verbum, „evocavi" usurpare poterat. Neque e v. 135 quicquam cogi potest (Meg.):

Da mi optuma femina manum.

Nam comoediarum personas non modo salutandi causa manus iungere [6]), ut Plaut. Men. 138:

[1]) cf. et. Kaibel, Soph. El. p. 65.
[2]) cf. Aul. 133: huc foras.
[3]) cf. Aul. 133: eo.
[4]) cf. Aul. 133: seduxi.
[5]) cf. Aul. 133: secreto.
[6]) Si Eunomia non apud fratrem habitaret, eam illi, si salutare vellet eiusmodi verbis, manum iam in aedibus dare oportebat, vel non v. 135, sed iam v. 120.

Salve. — Salve. — Quid agis? — Teneo dextera genium meum —, vel ut aliquam personam aliquo ducant, ut Bacch. 87:

Manum da et sequere.

ib. 723:

Cedo manum ac subsequere propius me ad fores,

sed etiam gratulandi vel gratias agendi causa manus dari ex his locis apparet: Pseud. v. 1065:

O fortunate, cedo fortunatam manum.

Capt. 838: Cedo manum. — Manum? — Manum, inquam, cedo tuam actutum. — Tene. — Gaude. — Quid ego gaudeam?

ib. 858 sq.:

Vin te faciam fortunatum? — Malim quam miseram quidem.
— Cedo manum. — em manum. — di te omnes adiuvant.

Men. Epitr. 56 sq. (Davus) λαμβάνων μου κατεφίλει τὰς χεῖρας. (Smicr.) 'Επόεις ταῦτ'; (Syr.) 'Επόουν.

Neque e v. 145 cum Dziatzkone (Mus. Rhen. 37 p. 264) effici potest „dass Eunomia ihren Bruder nur besucht habe, um ihn zum Entschlusse des Heiratens zu bestimmen". „Advento" scil. ante aedes idem est quod „tecum aedibus egredior", quo idem fere dicitur, qund v. 133 legimus i. e. Eunomiae impulsu factum est, ut colloquerentur. Hoc enim notatur intensivo verbi advenio (cf. R. Klotz, Lat. Handwörterbuch s. v. advento). Personas autem, quae e domo scaenica exeunt, se „advenire" dicere posse hoc exemplo illustratur. Amph. v. 32 [1]): „Propterea pace advenio". Neque puto feminam non vicinam fratri roganti, noveritne Euclionem, respondere posse (v. 172)

Novi; hominem haud malum mecastor.

Quo cum loco cf. Ter. Heaut. v. 526 sqq. (Syriscus servus Chremetis senis Clitiphonis patris):

Sed habet patrem quendam avidum misere et aridum
vicinum hunc; nostin? at quasi is non ditiis

[1]) Mercurius ex Amphitruonis aedibus in scaena positis, cf. v. 97 sq., in quibus Juppiter nunc est, cf. v. 112, 120, 131, e quibus v. 499 ipse cum Alcmena venit, patris iussu, cf. v. 19, egressus.

abundet, gnatus eius profugit inopia.
Scis esse factum ut dico? — (Chremes vicinus Menedemi senis Cliniae patris) Quid ego ni sciam?
Hominem pistrino dignum. — Quem? — Istunc servolum dico adulescentis.

Trin. 373 sqq. (Lysiteles adulescens cum patre Philtone colloquitur de Lesbonico vicini filio eiusque sorore)[1]).

Scin tu illum quo genere natus sit? — Scio, adprime probo. —
Soror illi est adulta virgo grandis: eam cupio pater
ducere uxorem sine dote. — Sine dote uxorem? — Ita.

Neque ex Aul. v. 175 sq. (Eun.).

Quid me nunc quid vis? — Vale. —
Et tu frater. — Ego conveniam Euclionem

apparet Eunomiam in domum in scaena non positam abire. E nullo ergo huius scaenae loco cogi potest Eunomiam non apud fratrem habitare.

Dum Megadorus Euclionem adire vult, ipsum advenientem conspicit. In scaena, quae sequitur, Megadorus cum Euclione de nuptiis collocuturus est. Sed ille de auro nuper reperto timens ubi primum advenit facere non potest, quin id inspiciat (203—206). Postquam omnia salva esse sibi persuasit (207 sqq.) redit. Iam Megadorus Euclionem socerum futurum interrogat (212—214), quo genere se ortum esse putet, quod in comoediis is facere solet, qui filiam alterius uxorem ducturus est (cf. Aul. 777 sqq.). Quem Euclio neque malo genere ortum neque non frugi esse concedit. His praemissis Megadorus libere dicit sibi in animo esse vicini filiam in matrimonium ducere. V. 255 sqq. denique impetrat, ut sibi Euclionis filia indotata despondeatur. Huius quoque scaenae maximam partem exemplaris esse censeo, quamquam Plautum nonnulla mutavisse quis erit qui neget?[2]) Megadorus sponsione facta (v. 256),

[1]) Philtonis domum in scaena esse apparet e Trin v. 276 sq.

[2]) Haereo imprimis in v. 240—255: Moleste sententia, quae v. 240 invenitur, saepius repetitur (v. 109 sq., 113 sq., 185, 186, 194).

cum nuptiae hodie futurae sint (v. 262), cum Strobilo servo obsonatum in macellum abit (v. 264). Quo facto Euclio Staphylam evocat vasa eluere iubens, ut pura sint, cum e foro redeat. Senem ut obsonaret eo abire e v. 271 sqq. apparet. Postquam imperavit, ut Staphyla aedes occluderet, in forum abit, sed ei non exponit, quid ibi facturus sit v. 273 sq.[1]). Staphyla, quippe quae Euclionis filiae nutrix sit, nunc, cum Megadorus eam sibi uxorem poscit, exitium sibi et Euclionis filiae adesse putat (v. 275 sqq.)[2]). Hic in Graeca comoedia fortasse alter actus coepit. In Menandri quoque fabulis singulos actus circa 200 vel plus versus continuisse videmus cf. Epitrepontes, cuius quae servata est prima pars 201 versus continet, desunt autem ineuntes versus. In Samiae prima, quae ad nos venit parte res non aliter se habet.

Prodit in scaenam Strobilus Megadori servus, quem erus in macellum se sequi v. 264 iussit[3]), cum coquis (v. 329), duabus tibicinis (v. 332 sq.), obsonio (v. 280 sqq.). Megadorus, qui v. 263 Euclione praesente se quae ad nuptias celebrandas opus essent paraturum esse dixit, Euclioni alteram, sibi alteram partem tribui iussit (v. 280—282). Servus cum coquis communicat erum hodie nuptias facturum esse[4]). Postquam Anthrax comperit Euclioni ea de

Causa v. 244 non feliciter inventa est („hortum confodere iussi"). Plautus v. 244 sqq. ad exemplum v. 202 sqq. Euclionem iterum intro currentem fecisse mihi videtur. V. 247 sq. eadem sententia mutatis verbis invenitur quae 236 (cf. et. v. 204 sq.). Quis porro sales v. 250 sq. Attico poetae tribuet? Fortasse v. 183—198 quoque multa a Plauto excogitata continent.

[1]) V. 89 Euclio omnino non dicit ancillae, quo iturus sit; ceterum cf. p. 18.

[2]) V. 279 Plautinum odorem redolet, nugas continet. παρήχησιν quoque litterae m novies repetitae respicias velim.

[3]) Id quoque, quod iam v. 280 servus cum obsonio redit, coniecturae meae favere puto, hic novam scaenam coepisse.

[4]) Ad verbum „dispertire" (v. 282) Plautus obscoenas facetias de suo addidisse videtur v. 283—288. Hos versus conexum inter v. 282 et 288 turbare sentio. Dure v. 288 pergit:

„sed erus nuptias
meus hodie faciet".

causa dimidiam partem obsoni coquorumque et alteram tibicinam mitti, quod Megadorus Euclionis filiam uxorem ducere velit, ille quaerit 294 sq.:

Quid? Hic non poterat de suo
senex obsonare filiai nuptiis?

Servus iam cum coquis iocose de Euclionis moribus post aurum inventum mutatis colloquitur v. 295—326. Coquos ioculantes apud comicos, praecipue Menandrum induci cum Athenaeus testatur (Deipnos. XIV 659 B): μάλιστα γὰρ εἰσάγονται οἱ μάγειροι σκωπτικοί τινες, ὡς παρὰ Μενάνδρῳ ἐν Ἐπιτρέπουσιν tum Menandri reliquiis confirmatur cf. Epitr. fr. 1 Koerte l.c. p.42 (Coqu.) οὐχ ὁ τρόφιμός σου, πρὸς θεῶν, Ὀνήσιμε
ὁ νῦν ἔχων ⟨τὴν⟩ Ἀβρότονον τὴν ψαλτρίαν
ἔγημ' ἔναγχος; (On. serv.) πάνυ μὲν οὖν.

Quod fragmentum ad Epitrepontes rettulit Croiset; ex initio fabulae deperdito desumptum esse multi viri docti intellexerunt. Hic quoque ut in Aulularia Strobilus Megadori et Lyconidis adulescentis servus [1]) Onesimus Chaerestrati et Charisii adulescentis servus de nuptiis eri colloquuntur: Sed in Aulularia de eri maioris, in Epitrepontibus de minoris. In Epitrepontibus filius naturalis senis est, in Aulularia nepos et avunculus sunt, qui illum adoptavisse videtur, ut in Samia Demea Moschionem. In Aulularia mores avari Euclionis soceri destinati, in Epitrepontibus mariti admodum adulescentis vita soluta depinguntur. His in similitudinibus et tamen variationibus Menandri ars cognoscitur. Euclioni fortasse in exemplari nomen Smicrines fuisse e Choricii loco citato (p. 6) collegimus. Iam vidimus (l. c.) servum similia verba de Euclione fecisse atque Aul. 300 sq.: Senex timet μή τι τῶν ἔνδον ὁ καπνὸς οἴχοιτο φέρων. In foco enim, Laris sede, aurum abditum est. Animus Euclionis ita incitatus est, ut ne aquam quidem profundere audeat. Facetias, quae hic iam in exemplo erant, a Plautinis pure secernere difficile est. Certe haud pauca Romanus excogitavit[2]). Strobilus (v. 321)

[1]) Plura de his infra dicemus.

[2]) Sales Plautinos, qui ad hunc locum non quadrant, esse iudico

e coquis quaerit, uter celerior sit cf. Men. Epitr. 165 sq. (Ones.) μάγειρον βραδύτερον
οὐδεὶς ἑόρακε.
fr. 4 Epitr. Koe. p. 42 (Ones.) Τί δ' οὐ ποιεῖς ἄριστον;

Cui respondet Anthrax (322): „Ego et multo melior.“ Hunc ergo coquum in eri aedes mittit [1]). Illuc eum pinguiorem agnum auferre iubet. Congrionem cum altero agno alteraque parte coquorum in Euclionis aedes mittit (v. 329). Quem gravatum, quod Anthrax pinguiorem agnum accipiat (v. 331), Strobilus postquam se ei pinguiorem tibicinam Phrygiam [2]) daturum esse pollicitus est ipse ad Euclionis aedes adducit et Staphylam bibacem [3]) evocatam (v. 350) coquos et tibicinam cum obsonio ad se recipere iubet v. 351 sqq. Ancilla v. 362 coquos se sequi iubet.

Iam mihi locus tractandus est, qui, ut Goetzii verbis utar (Act. soc. phil. Lips. VI p. 310), semper fuit „Die Crux der Kritiker und Interpreten“. Strobilum Megadori servum esse apparet e v. 264 (Meg.):

Heus Strobile sequere propere me ad macellum strenue.

288 sqq. (Strob.) sed erus nuptias meus [4]) hodie faciet.

v. 304—307. Ineleganter v. 308 his verbis agglutinatus est (Str.): „At scin etiam quomodo?“ — Sitne sententia, quae v. 308 invenitur, ex exemplari desumpta, discernere non audeo. Sed v. 309—311 iterum a Plauto non feliciter excogitatos esse censeo. Nam qua re adductus Euclio coquos, qui re vera liberi esse videntur (cf. v. 458), liberet non intellegitur. Plautus Euclionis mores avarissimos depingere voluit. Ex hoc vero loco nihil de exemplari effici potest, quem iam Geffcken (l. c. p. 12 sq.) Plauto tribuit. Neque v. 316 sqq. cum antecedentibus bene iunctos esse sentio hisce:

censen (cf. 309) vero adeo parcum et miserum vivere?

Suntne etiam v. 312 sqq. imitatoris?

[1]) Verba, quibus Anthrax collegae illudit v. 322 sqq., Romani artem sapiunt. De nundinis Romanis cf. Fest. p. 173 a 30 sqq.; cf. et. Kiessl.-Heinze ad Hor. epod. 17, 48. Verborum quoque ludus v. 325 sq. exemplaris esse non potest, cf. quae de i littera longa p. 14 adn. 1 diximus.

[2]) Phrygiae tibicinae nomen occurrit Men. fr. 940, ancillae Ter. Heaut. et Adelph. (v. 973), in Aeliani ep. 8 et 19 cf. Gatzert l. c. p. 45.

[3]) Respicit nomen Staphyla ad verbum σταφυλή (uva).

[4]) scil. Megadorus.

350 sqq. (Str.) Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi.
(Sta.) Qui vocat?
(Str.) Strobilus. (Sta.) Quid vis? (Str.) Hos ut accipias coquos
tibicinamque obsoniumque in nuptias.
Megadorus iussit Euclioni haec mittere.
(Sta.) Cererin, Strobile, has sunt facturi nuptias [1])?

Idem Strobilus Lyconidis servus dicitur (inde a v. 587) v. 603 sqq.

(Strob.) nam erus meus [2]) amat filiam huius Euclionis pauperis.
v. 696 (Lyc.) sed servum meum
Strobilum miror ubi sit.
v. 804 (Lyc.) Nunc servum esse ubi dicam meum Strobilum non reperio.
v. 812 (Str.) Erumne ego aspicio meum? [3]).

At omnes fere viri docti negant Megadorum et Lyconidem Eunomiae filium eodem servo uti posse. Quem nodum alius aliter solvere conatur [4]). Hanc quaestionem ab ovo tractari necesse est. Quid de hac re ante Wagnerum viri docti iudicaverint, in Wagneri dissertatione p. 25 sq. invenitur. Editio Aldina a. 1521 alteri servo nomen Strobilo, alteri Strophilo dedit. Koepke uno nomine duas personas significari putavit, quem secutus est Rapp. Quarum sententiarum nullam probabilem esse recte iam Wagner (p. 26) dixit. Wagneri ipsius sententia haec est (l. c.) „tota .... fabula quasi in duas partes dividitur, quarum prior tota est in Megadori consiliis narrandis et apparatu nuptiarum describendo, altera Lyconidis amorem Phaedriaeque cum eo nuptias continet .... Haec igitur omnia quae modo enumeravimus incommoda facilem habent explicatum, si nobiscum Plautum Aulularíam non ex una sola fabula Graeca transtulisse statueris, sed contaminandi artificio (ut quidem assolet) poetam usum esse existimaveris. prioris enim Strobili personam una cum coquis aut de suo addidisse aut ex alia fabula desumpsisse videtur poeta. haec igitur cum adderet Plautus, eam commisit inconvenientiam, quam supra in Strobili persona demonstravimus.“ Hanc coniecturam cum firmis argumentis careat Goetz (Act. soc. phil. Lips. VI p. 310 sqq.) refellit. Qui vir doctus haec fere dicit (l. c. p. 314): Non vestigia deesse, e quibus retractatoris opera cognoscatur verisimileque fiat contextum hic turbatum esse, ut nomen Strobili Lyconidis quoque servo daretur. Quod ut faceret retractatorem eo fortasse adductum esse, quod ex duabus partibus unam eoque maiorem facere vellet; sed hoc dum in animo haberet, eum sibi non constitisse, cum imprimis v. 603 mutari necesse fuisset. Idem vir doctus praef. ed. mai. p. VIII priorem fabulae partem, ut iam diximus, retractatam esse coniecit. Nixus additamento ad v. 363 ascripto (FITODICVS SERVUS codd. B J) servo Megadori „Pythodicus“ nomen fuisse putat, quod nomen a retractatore quodam in „Strobilus“ omnibus locis antecedentibus mutatum esse. Sed firmum argumentum ne Goetz quidem attulit. Ussing ut Goetz duos servos, non unum esse contendit Franckeni opinione improbata dicentis (ed. Aul. p. XIV sq.) in Graeca fabula Megadorum et Lyconidem eodem servo usos esse, Eunomiam marito mortuo in fratris domum cum filio migravisse, quo factum esse, ut eadem familia uterentur. Sed quae argumenta Ussing profert ad Franckeni sententiam refutandam non firma sunt (Uss. ed. Plaut. II p. 274) [5]). Uberius de hac re egit Dziatzko (Mus. Rhen. 37 p. 261 sqq.). Hic vir doctus Goetzii interpretationem non aptam esse ducit, qua omnes controversiae solvantur. Franckenum secutus recte putat hanc quaestionem tractari non posse, nisi primum quaesitum sit, utrum Eunomia cum filio in Megadori aedibus habitaret necne. Dziatzkonis sententiam hic breviter exponamus, utpote quam multi viri docti adhuc secuti sint. Lyconidem adulescentem non modo filium sororis Megadori, sed etiam patre orbatum esse (v. 779)

[1]) Idem servus v. 331 quoque a Congrione „Strobilus“ vocatur
[2]) scil. Lyconides.
[3]) scil. Lyconidem.
[4]) cf. Pressler p. 7.

[5]) Hoc infra accuratius cognoscemus, vid. p. 72 adn. 2.

et una cum matre in eadem domo habitare videri (v. 727). Quae cum ita sint initio actus alterius (120 sqq.) Eunomiam et Megadorum fratrem ex eadem domo egredi. E v. 682 cogendum esse Lyconidem et Eunomiam matrem ex aedibus Megadori in scaena positis exire, ut de Euclionis filiae compressione colloquantur. Denique utrumque (v. 694 sqq.) in eandem domum abire. Quodsi poeta, ut ex his appareat, avunculum et sororis filium alterum cum altero viventem fecerit, facile intellegi posse eundem servum primum seni, deinde adulescenti servire coll. Ter. Andr. 208, ubi Davus Pamphilum cum Andr. 175, 183, ubi idem Simonem Pamphili patrem erum appellet, Eun. 57, ubi Parmeno servus Phaedriam adulescentem, cum Eun. 976, 979, ubi idem Phaedriae patrem erum vocet, Phorm. 842, ubi Antipho adulescens, cum Phorm. 184, 247, ubi pater eius Demipho a Geta servo erus appelletur [1]). Qua de causa non modo Strobilum I [2]) in Megadori aedibus habitare (coll. v. 264, 293, 330, 334, 342), sed etiam Strobilum II in domo quadam in scaena posita (scil. haud dubie cum Lyconide in Megadori aedibus) habitare. Sed multis rebus nos vetari censere Strobilum I et II eundem servum esse et senem in iisdem quibus adulescentem aedibus sedem habere. Magni momenti esse servum altero loco non meminisse iocorum, quos in priore fabulae parte cum coquis fecerit [3]), et utrumque dominum non modo nullo additamento discernere, sed Megadorum omnino non dominum appellare (coll. v. 604) [4]). Non opus esse addi Lyconidi aliquid nuntiatum esse (v. 604) de Megadori consilio Euclionis filiae in matrimonium ducendae, cum Strobilus I ipse id cum Lyconide communi-

[1]) Cuius rei satis multa exempla inveniuntur cf. Plaut. Epid. v. 202, ubi Periphanes senex, cum Epid. 345, ubi Stratippocles Periphanis filius erus ab Epidico servo vocatur. Plura exempla infra e Menandri fabulis afferemus.

[2]) Dz. eum servum, qui Megadoro servit Strobilum I, qui Lyconidi Strobilum II nominat.

[3]) Cui rei nihil momenti tribuo.

[4]) Dziatzkonem v. 288 sq. effugit: sed erus nuptias meus (sc. Meg.) hodie faciet.

care potuerit, qui Megadorum in obsonando adiuverit. Immo oportere Strobilum I, qui altero loco valde Lyconidis rem curare videatur, aliquo loco intra versus 280—362 (vel 370) dicere se non contentum esse iis, quae fiant [1]). Discrepantiam eo quoque oriri, quod Strobilus I in fine sc. II act. 2 (v. 264 sqq.) Euclionem fortasse videat, v. 619 autem non novisse videatur [2]). Denique non licere Strobilum II a Lyconide (v. 823 sqq.), sed a Megadoro libertatem petere [3]). Similiter de Lyconide eiusque matre iudicandum esse. E v. 144 sq. (advento) conici posse Eunomiam visendi causa ad fratrem venisse [4]). Quibus controversiis ut expediamur eam solam sententiam accipiendam esse videri Plautum in componenda fabula familias Megadori et Eunomiae Lyconidisque non coniunctas in exemplari, ita, cum cognati sint, conexuisse, ut Eunomiam cum filio in Megadori domo vel in parte eius habitantem faceret [5]). Quo rem scaenicam simpliciorem redditam, comicam actionem eo efficaciorem factam esse, ut duo in eadem domo habitantes eandem puellam uxorem peterent, exitum denique facilius expediri, cum eo, quod unam domum habitent, avunculus celerius adulescentis desiderio cedere possit [6]). Hac re factum esse, ut Plautus v. 133 (seduxi) [7]) et 727 (nostras aedes) de suo adderet [8]), aliis vero locis sententias e Graeco exemplo mere verteret [9]) coll. prologo, quo Lar Megadorum pronomine „hic", Lyco-

[1]) Hoc non necesse est, ut iudico.

[2]) Sed servum Euclionem novisse e. gr. e v. 822 apparet. E v. 619 autem non cogi licet Strobilum eum non novisse, vid. infr. ad h. l. p. 75 sq.

[3]) Hoc non opus est: A quo alio, quaeso, servum illo loco libertatem poscere posse putamus? Lyconides si non solus servum libertate donare, ab avunculo certe precibus impetrare potest, ut servus manu mittatur.

[4]) Sed cf. p. 21.

[5]) Quae coniecturae firmo fundamento carent.

[6]) Haec sagaciter excogitata, non demonstrata argumentis sunt.

[7]) cf. p. 20.

[8]) Hunc locum a Plauto additum esse Dziatzko nusquam demonstravit.

[9]) Sed argumenta desunt.

nidem pronomine „illic" appellet [1]). Maiorem neglegentiam in v. 145 inesse (advento) [2]). Strobilum II v. 605 [3]) non e domo aliqua in scaena conspicua, sed e loco extra scaenam sito venire videri, ut de nuptiis exploret, in exemplari Lyconidem servumque eius a familia Megadori alienos fuisse [4]). Plautum exempli omnia vestigia delere non potuisse, sed non ad eam audaciam pervenisse, ut sororis filio eundem quem avunculo servum in consiliis exsequendis adiuvantem daret; quo factum esse, ut illae graves discrepantiae, quae inter Strobilum I et II invenirentur, neglegenti versioni deberentur. Quare Goetzium recte suspicari a retractatore demum Strobilo I idem quod Lyconidis servo nomen datum esse. Hoc ideo fortasse retractatorem fecisse, ut Megadorus et Lyconides materque eius artius inter se coniungerentur [5]). Qua cum quaestione Goetzium recte nomen Pythodici (cf. ad v. 363) coniunxisse. Valde probabile esse in exemplari Strobilo I nomen Pythodicum fuisse, vel Plautum quoque hoc nomen servavisse, sed retractatorem quendam mutavisse. Sed magni momenti esse, quod omnibus quattuor locis textus, quibus nomen Strobili legatur (264, 334, 351, 354), servato metro Pythodicum inseri possit [6]). Haec fere est sententia Dziatzkonis, in qua veris errores multi admixti esse mihi videntur.

Pressler denique (p. 12) Goetzii coniecturam accipiendam esse dicit, ita ut prioris partis servo nomen Pythodici vel potius Philodici [7]), posterioris Strobili dandum sit.

Tartara vero (Riv. di filol. e d' instr. class. XXVII

---

[1]) E pronominum usu nihil cogi potest cf. p. 11 adn. 1.

[2]) Sed cf. p. 21.

[3]) Infra de hoc loco fusius agetur p. 74.

[4]) Haec mera coniectura est.

[5]) Num haec credi possunt: In exemplo fuerunt duae familiae et duo servi, in genuina Plauti fabula una familia, sed duo servi, in retractata fabula et una familia et unus servus?

[6]) Nullo, si me audis: Permulta nomina excogitata pro „Strobilus" servato metro inseri possunt. Sed nomine „Pythodicus" metrum non accurate servatur cf. infr. p. 34

[7]) cf. p. 34

p. 193 sqq.) Aulularium retractatam esse negans recte dicit viros doctos retractatorum nomine in Plauti fabulis abuti (p. 199). Iis, quae Pressler ad firmandam Goetzi sententiam affert, nihil demonstratur. „Sed cum Tartara dicit posterioris aetatis poetas hoc modo depravasse Plauti fabulas putandum non esse, nihil impugnat nisi suam ipsius opinionem, quia nemo umquam retractatores in poetarum numero habuit nisi ipse Tartara. Porro ne de histrionum quidem libidine recte loquitur, quoniam histriones, quippe qui domino gregis parerent, ex alieno arbitrio pendebant. An putamus dominum gregis depravandi potestatem fecisse histrionibus illas fabulas, quas suas proprias fecerat? Nonne magis est consentaneum putare contractas esse duas partes certo quodam temporis spatio libidine lusibusque?" Hoc nihil nisi verborum discordiam esse censeo. Tartara l. c. p. 193 turbas in servorum personis „ab opportunitate quadam scaenica" repetendas esse dicit. Idem „pro explorato" haberi posse putat Strobilum non duorum simul dominorum, Megadori et Lyconidis, servum esse, et Dziatzkonem secutus v. 264, 334, 351, 354 „Pythodicus" scribit. Omnia, quae Tartara conicit, hic citare supersedeo, cum aliis locis occasione data de iis dicendum sit [1]). Aulularium consilio retractatam esse negant P. Le Breton „Quelques observations sur l' Aulularia de Plaute" Paris 1898) et A. J. Amatucci („Quaestiones Plautinae II Aulularia" Barii 1906). Le Breton legitimum Lyconidis (non Megadori) servi nomen Pythodicum in altera parte fabulae e scaenarum inscriptionibus evanuisse contendit et Strobilus pro Pythodico scriptum esse, tum e scaenarum inscriptionibus in ipsos versus nomen Strobili irrepsisse. Sed qui factum sit, ut inscriptiones mutarentur et nomen Pythodici non ante quartum actum, sed ante secundi actus scaenam septimam servaretur, cum Le Breton ipse dicere nesciat, recte hanc coniecturam refutavit Seyffert (Berl. phil. Wochenschr. 1899 col. 40 sqq.). Amatucci v. 362 sq. sic in B J traditos:

---

[1]) cf. p. 75 sqq.

Haud postulo. — Duc istos intro. — Sequimini.

FITODICVSSERVVS

Curate, ego intervisam quid faciant coqui.

hunc in modum emendat:

Haud postulo — Duc istos intro, fi obsequens —

Curabo e. q. s.

Sed haec coniectura cum litteris traditis magnam vim inferat non probabilis est (cf. et. Pressler p. 13). Sed Amatucci quamquam hic servi nomen non esse concedit, tamen duos servos esse oportere contendit. Quam ob rem Lyconidis servi nomen in „Strabelus" (στράβηλος = cochlea) mutandum esse putat, quia apud Plautum omnia fere nomina personarum vel naturis vel moribus vel partibus earum respondeant.[1]) Confert v. 628:

(I) foras lumbrice, qui sub terra erepsisti modo.

Hac autem commutatione nominis Amatucci Strobili naturam invertit. Nam nomine Strobilus celeritas significatur, cum „στρόβιλος" idem sit quod „turbo" cf. Men. Sam. v. 210 sq.:

στρόβιλος ἢ σκηπτός .... ἐστίν.

Strobilum autem celerem esse e v. 678 sq. et 705 sqq. satis patet. Praeterea servus v. 628 omnino non propter tarditatem „lumbrice" appellatur, sed quod subito tamquam ex terra erepsit ut lumbricus post imbres. Denique „Strabelus" servi nomen in comoedia adhuc non innotuit.[2]) Ex Amatucii ergo commentis nihil lucramur.

Iam videamus, sintne discrepantiae tantae, ut duos servos esse oporteat. Ac primum de additamento ad v. 363 in B J ascripto agamus. Ante v. 363 in his libris haec scripta sunt: FITODICVSSERVVS, quod sine spatio D omittit.[3]) Scrutemur sitne necesse necne v. 363 novam scaenam incipi. A. Spengel (Szenentitel und Szenenabteilungen in der lateinischen Comödie" in Sitzber. d. philos.-philol. u. histor. Klasse der kgl. bayer. Akad. d. Wiss.

[1]) cf. etiam Gatzert p. 64 sqq.

[2]) cf. Gatzert p. 62 sq.

[3]) Hoc non neglegendum est ad diiudicandam quaestionem sitne additamentum in B J scaenae inscriptio necne. Omnibus iis locis, quibus in P scaenae inscriptio esse solet, in D spatium hiat.

1883 II p. 257 sqq.) demonstravit, si una tantum persona relinquatur in scaena, codicum inscriptionibus novam scaenam significari, dummodo metrum commutetur; hoc accuratius in libris Palatinis observari quam in Ambrosiano, in quo saepe duae saenae in unam contractae sint, cum illi novam scaenam exhibeant.[1]) Hoc Aululariae loco quamquam metrum non commutatur, tamen in B J nova scaena, si viros doctos sequimur, quos supra citavimus, incipit. Sed eundem servum, qui cum Staphyla verba fecit, v. 363 sqq. dicere negari non potest. Similiter res se habet v. 67: Staphyla sola in scaena relicta monologum dicit. Sed in nullo codice, cum metrum servetur, illo loco nova scaena exhibetur neque in editione Leonis, Goetzii (mai., non min.), Lindsayi designatur. Quibus ego adstipulor.[2]) Aul. v. 459 Euclio in scaena solus restat: quamquam metrum non mutatur, in B J nova scaena incipit: SENEX EVCLIO cod. B, EVCLIOSENEX cod. J. Omittitur scaenae inscriptio in D sine spatio. Cod. D ergo et v. 363 et 459, si Spengelium sequimur, meliorem memoriam exhibet. Quanti autem cod. D aestimandus sit Lindsay explicat („Jahresbericht über Plautus 1895—1905" in Burs. Jahresber. über die Fortschr. d. klass. Altertumswissensch. vol. 130 alt. pars: script. lat. p. 122) „In den ersten 8 Stücken steht der Text von B (d. h. B_1 und die nicht aus den guten Ms. herrührenden Besserungen) auf einem Niveau mit D. In der Class. Rev. 10, 319 (1896) »The MSS. of the first Eight Plays of Plautus« lege ich dar, dass J eine recht unzuverlässige Grundlage bildet" et paulo infra „dass B in den ersten 8 Stücken unmittelbar aus derselben Quelle (P^{BD}) kommt wie D und (abgesehen von

[1]) Hac in re ut in aliis plus cod. A confido quam P. Scaenarum inscriptiones omnino non pervetustas esse infra ostendetur. In Plauti ipsius libris ut in Menandreis scaenarum inscriptiones non fuisse iudico.

[2]) Pseud. v. 667 in A recte nova scaena non designatur spatio non relicto, designatur in B, D_1; C quoquo inscriptionem omittit; ibid. a v. 1238 in A iterum recte nova scaena non incipit.

den B_2 = Korrekturen) für die Partie in keiner Hinsicht besser als D ist, hat dargetan W. H. Gillespie »On the Relation of the Codex Vetus to the codex Ursinianus of Plautus (Harvard Studies 9, 109) Boston 1898." Nostro loco in codd. B J „FITODICVSSERVVS" traditum est, D nihil praebet neque spatium relinquit, AC desunt, in E media pars Aululariae periit (cf. Goetz ed. mai. praef. p. IX). Merula cum his litteris servi nomen significari putaret, „Pythodicus servus" coniecit. Quod nomen non ferendum esse putat K. Schmidt (Herm. 37 p. 204) his argumentis additis: Cum in Pythodicus prima syllaba vel longa vel brevis esse possit, in v. 264, 334, 351, 354 magis sibi placere Philodicus (Φιλόδικος), quamquam Pythodicus (Πυθόδικος), quod scripsit Merula, rectum nomen Graecum sit; tum pergit „Zweistämmige Sklavennamen bei Plautus haben einen besonderen Sinn, sie zeichnen ihren Träger als einen Mann von bestimmter Eigenschaft oder allgemeiner als Sklave. Deshalb ziehe ich das der Überlieferung gleichfalls nahe kommende Philodicus = Φιλόδικος vor, vgl. Pape Bens.: Das Adjektiv φιλόδικος bedeutet streitsüchtig. Eine Komödie des Timokles, Kock II 465, führt den Titel Φιλοδικαστής; einen Sklaven Epidicus haben wir ja bei Plautus schon kennen gelernt." Sed Schmidt ipse concedit non ita verisimile esse servo nomen Philodici in exemplari datum fuisse. Plautum arbitrario nomen videri mutavisse. Periculosum autem mihi esse videtur illud nomen excogitatum recipere, quod Pressler commendat (p. 20), quamquam Schmidt dubitanter coniecturam suam protulit.

Quae cum ita sint desperandum esse videtur nos unquam coniectando verum divinaturos esse. Non facere possum cum iis, qui nisi inscriptione scaenae FITODICVS contra omnium codicum auctoritatem omnibus antecedentibus locis mediis in versibus servi nomen mutatum esse censent.[1])

[1]) Praeter „Pythodicus" et „Philodicus" viri docti alia nomina finxerunt, „Alfitodicus" Ussing, „Philositus" Gertz, „Pithodicus", „Philonicus" alii cf. Uss. ad v 363 (= Uss. v. 355), Goetz ed. mai. praef. p. VIII adn. 2, Francken Mnem. 19 p. 341.

Nonne Megadori servo ut servo Lyconidis nomen „Strobilus" optime quadrare concedendum est, cum Megadorus v. 264 servum suum sequi iubeat his dictis:

Heus Strobile, sequere propere me ad macellum strenue?

Sed licet litteris ad v. 363 in B J ascriptis servi nomen significare voluerit librarius i. e. licet FITODICVS SERVVS sit scaenae inscriptio — quod iis, quae supra Spengelium secuti diximus, minime confirmatur[1]) — ab hoc loco omnino non proficiscendum esse, si quod sit servi nomen quaerimus, demonstrat Lindsay his verbis (l. c. p. 138). „Wo in unsern erhaltenen palatinischen Hss. Namen auftreten, sind sie (anscheinend in einem frühen Stadium der Textüberlieferung) hinzugefügt worden[2]) und zwar wurden sie nach Angaben im Stücke selbst ergänzt." In Casina Lysidami nomen nusquam in textu commemorari; quam ob rem in Palatinorum librorum scaenarum inscriptionibus servi nomen non inveniri: Lysidami nomen ex A notum est. In P huius loco mirum nomen STALICIO invenitur, quod e falso intellecto v. 955 (apud Goe-Schoe. v. 959 sq.) ortum esse viri docti intellexerunt (heus sta ilico.[3]) Hoc servi nominis monstro semel inducto error etiam in v. 347 irrepsit

„non ego istuc verbum empsim tittibilicio"

(P: „tit tibi stalicio"). Similiter in Sticho nomen DINACIVM pro PINACIVM ortum est e Stich. v. 288a (Goe-Schoe.) „Quidnam dicam Pinacium." In Truculento e v. 577 nomen „Geta" ortum est pro „Cyamus". Hoc exemplum accuratius examinemus. Truc. II 7 haec scaenae inscriptio invenitur:

[1]) Cur iis locis, quibus haud dubie scaenae inscriptiones in B J designantur, ut ante v. 280 vel 327, obscurum illud „servi nomen" non scriptum est?

[2]) cf. et. quae Keym de Terentii fabulis in actus dividendis dicit p. 5 sq.

[3]) Error facile e maiuscula scriptura archetypi codd. P oriri poterat STAILICO. Librarius litteras IL inter se similes confudit et alterum I false post C posuit. Similia exempla iam citabimus, cf. p. 37 adn. 3.

GETA PHRONESIVM (R ex H) ASTRAC · cod. B.
GETA PHRONESIVM · ASTAPHIVM · C · cod. C.

At servo non nomen Getam, sed Cyamum esse recte Seyffert (Philol. vol. XXVII p. 463) e v. 583, 586, 702 collegit. V. 577 vero obsistente metro hoc legitur: „nostergeta" B; „noster geta" ceteri P. Quod mendum his coniecturis viri docti sanare conati sunt: „noster esto" Speng., Uss.; „noster Cyamust" Bergk: „et nos te Cyame" Seyff. cum Buggio; „et nos te Geta" Linds.; „noster Cyame" Leo. Omnibus his coniecturis assentiri non possum, cum quomodo mendum ortum sit non satis intellegatur. Cum hoc loco servi nomen non fuisse mihi persuasum sit, hoc conicio:

noster ergata[1]), quid agis? ut vales?

Ergata idem est quod Graecum ἐργάτης, Latinum operarius, adiutor cf. Goetz C. Gl. L. IV p. 336, 45: ergata operator. Cf. servi nomen „Ergasilus" in Captivis, quod Germanice vertere possumus „Schaffner".[2]) Similis locus est Mil. gl. v. 1139: (Milphidippa ancilla)[3]):

Quid agis, noster architecte?[4])

Quis ex „noster ergata" facile „nostergeta" oriri potuisse negabit? Quo ex lapsu stili librarii Geta nomen in scaenae inscriptionem se insinuavit.[5])

His ex exemplis apparet re vera a nominibus personarum, quae in textu inveniuntur, non ab inscriptionibus scaenarum proficiscendum esse. Quam ob rem Lindsay recte dicit (ib.) „Infolge dessen haben die Szenenüberschriften unserer Minuskelhandschriften (einschliesslich T) nicht Überlieferungswert, und alle Folgerungen, die sich auf dieselbe stützen, sind hinfällig, z. B. Goetz Argument über die Sklavennamen der Aulularia (praef. p VIII)"

[1]) Respicias quaeso in B haec duo verba in unum constracta esse: nostergeta.

[2]) cf. Brix-Niem. ad Capt. v. 69 sqq. [6] p. 18.

[3]) Truc. 577 Phronesium meretrix loquitur.

[4]) cf. et. Amph. v. 45.

[5]) Quod nomen ut servo daret eo facilius rubricatorem esse adductum censeo, quod Geta servi nomen tritum est in comoedia cf. Gatzert l. c. p. 45 sq.

et A. Spengel (l. c. p. 264) „Überhaupt aber ist der Grundsatz durchzuführen: wo ein Personenname des Textes mit dem einer Szenenüberschrift kollidiert, ist die Szenenüberschrift aus dem Text zu korrigieren, nicht umgekehrt. So sind in B, also der verhältnismässig besten Überlieferung in der Szenenüberschrift zu Aul. II 4 unter sechs Personennamen nicht weniger als vier ungenau geschrieben, nämlich Stribolus statt Strobilus, Arethax statt Anthrax, Phrusium statt Phrygia und Exflesium statt Eleusium, während im Texte die richtigen Namen stehen. Diniarchus ist im Text des Truculentus mehrfach richtig erhalten, in den Szenenüberschriften grösstenteils in Dinarchus oder Dimarchus verderbt." Itaque in Aulularia et Megadori et Lyconidis servo nomen „Strobilus" esse oportet, sunt ergo una persona. Discrepantias inter utriusque communis servi partes, in quibus haeserunt viri docti, non tantas esse demonstrari potest[1]), ut duas personas necesse sit putare. De obscuro additamento FITODICVS SERVVS hoc iudico: nihil aliud est nisi FITODIOSVS SERVVS, quae verba abbreviatura FITODIOS' SERVVS (vel SERV') scripta fuisse in archetypo codd. BJ verisimillimum est cf. Pseud. V_1 inscriptionem: PSEVDOL' SERVVS EBRIVS cod D_3, Asin. II_4 LEONIDA LIBAN' SERVI CHIAMIDATVS codd. EJ, Bacch. IV_7 CHRISAL' SERV' cod. B. Quod verbum non, ut necesse erat, sic dissolutum est: FIT ODIOSVS SERVVS, sed prima littera S omissa[2]) hunc in modum: FITODIOVS SERVVS, ex quo O altero in C mutato[3]) verbum ortum est, quod in BJ legitur. Verbum

[1]) cf. infr. p. 74.

[2]) Hoc eo facilius fieri poterat, quod in abbreviata quoque scriptura bis tantum littera S occurrebat (FITODIOS' SERVVS) cf. Poen. 876 „tacitus tibi resistam in A P pro tacitas tibi res sistam; cf. et. Sicker „Novae quaestiones Plautinae" in Philol. suppl. XI p. 199.

[3]) cf. Epid. 237, ubi cod. A recte SCIENS exhibet, sed codd. P omnes falso „solens" ortum e maiuscula scriptura (vid. SOLENS et SCIENS). Pers. 173 haec inveniuntur pro verbo „ovis": QVIS in A, CVIS in B, e quo cuius (C D) ortum est. Exempla idonea collegit E. Sicker l. c. p. 197 sqq.

odiosus passiva significatione usurpari solet pro „is, qui odio est alicui". Nemini autem servus „odiosus fieri" potest nisi Congrioni eiusque operariis, qui Euclionis aedes intrare iussi nolunt illuc abire. Anthrax, qui in Megadori aedes missus est (v. 327 sq.), statim obsecutus est (v. 328: licet), non ita Congrio cf. v. 330 sq.: Hercle iniuria

dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent.

334 sq.: o Strobile subdole,

hucine detrusti me ad senem parcissimum.

Cunctanti Strobilus v. 349 haec imperat:

sequere hac me.

Idem v. 362 severe imperat Staphylae:

„Duc istos intro" et illa breviter et acriter coquis: „Sequimini!" Dativus „coquis" deesse potest cf. Aul. 123

„haud falsa sum nos odiosas haberi".

Verisimilior autem hic activa significatio adiectivi „odiosus"[1]) est, cum adiectiva in – osus exeuntia et active et passive usurpari constet cf. Gell. IX 12, 1, ita ut „fit odiosus" idem sit quod „fit odii plenus" cf. Gell. IV, 9, 2 et IV 9, 12, Caec. Stat. Plocium fr. XV Ribb. (C. R. F [2] p. 66): Adulescens quidam, qui pauperem uxorem duxit, Crobylae matri (cf. Ribb. l. c. p. 59) haec dicit

Tu nurum non vis odiosam tibi esse, quam rarenter videas?

i. e. Tu nurum non vis te odisse (tibi suscensere), cum eam raro videas (visas). Activa vi Lucretius verbo odiosus usus esse videtur cf. IV 1165 L.

at flagrans, odiosa, loquacula, Lampadium fit,

quod vertere possumus „ist sie hitzig, aufbrausend, zänkisch, nennt man sie Glühköpfchen" et IV 1190:

si bello animost et non odiosa, vicissim

[1]) De origine et significatione huius adiectivi adhuc viri docti certant. Skutsch („Odium u. Verwandtes" in Glotta II p. 230 sqq.) id a Graeco ὄζω ductum esse putat, cuius sententiam exemplis illustrare studet G. Landgraf (Glotta III p. 51 sq.). Aliter iudicat Walde „Etymol. Wörterb. d. lat. Spr." [2] p. 873 s. v. „odi" et idem Indog. Forsch. 28 p. 404 sqq.; cf. etiam Solmsen Glotta III p. 287. Iterum Skutsch de hoc vocabulo egit Glotta III p. 187, cui respondit Walde Ind. Forsch. 30 p. 139—144. Ex hac lite tantum apparet non licere contentum esse iis, quae in lexicis s. v. „odiosus" vulgo inveniuntur.

praeter mittere et humanis concedere rebus,

i. e., hat sie ein gutes Gemüt und sucht nicht Händel". Cf. etiam Goetz C. Gl. L. V 376, 20: odiosus qui odit[1]). Hac interpretatione accepta librarius verbis ascriptis dicere voluit servum odii plenum fieri, quod coqui sibi parere nolint, quos ad Euclionem misit, ita ut iratus dicat: curate!

Similes scaenicae adnotationes saepius inveniuntur cf. Ps. V 1 et Asin. II 4 scaenarum inscriptiones (supra p. 37). Verbum CHIAMIDATVS, quod Asin. l. c. legitur, librarius falso personae nomen esse duxit; re vera autem adiectivum est ad omissum substantivum „mercator" cf. Asin II 3 scaenae inscriptionem[2]). Ad Cist. I 2 haec adnotatio ascripta est LENA RESTITIT DV cod. V itemque, sed LENE cod. E, sine DV cod. B, duorum versuum spatium in A. D vacat. Ad Bacch. IV 3 „adulescens restit" in cod. Turnebi additum est[3]). In papyris quoque Menandreis similes parepigraphae leguntur, ut ad Peric. v. 412 ἐξέρχεται Δωρίς[4]), ad Peric. v. 424 εἰσέρχεται scil. Πολέμων. Ad Peric. v. 446 (inter v. 445 et 446, non in margine) Πολέμιων εἴσεισι Παταικ .... [5]). Eurip. Cycl. v. 478 haec legimus ᾠδὴ ἔνδοθεν. Hanc parepigrapham in textu (non in margine) habent codd. LP (cf. Wecklein ed. mai. Teubn. ad h. l.). In Aesch. Eum. v. 117 ascriptum est μυγμός cf. et. schol. ad h. l.: παρεπιγραφή· τοῦτο δέ ἐστιν ὅ φησιν ὁ ποιητής· αἱ δ' ἐπέμυξαν. Idem verbum ad Aesch. Eum. v. 120 additum est. Ad v. 123 et 126 ὠγμός; ad v. 129 μυγμὸς διπλοῦς ὀξύς. Plurimae autem parepigraphae

[1]) cf. et. Skutsch Glotta II p. 238 sq. et Brugmann Indog. Forsch. vol. V p. 129 sqq. de verbo „osus" active adhibito.

[2]) Respicias quaeso neque in Pseudoli neque in Asinariae locis modo citatis in D_1 tale additamentum esse cf. supra p. 37.

[3]) cf. Lindsay The codex Turnebi of Plautus p. 278 et idem Burs. Jahresber. l. c. p. 139. Nescio an in Truc. v. 120/1 adnotatio scaenica lateat, quae verba iam Priscianus (2,422) Plauti esse putavit. Sed Truculentum male traditum esse constat.

[4]) sic positum, non Δωρὶς ἐξέρχεται.

[5]) Scholion quoque in Menandreis schedis invenitur, ad Colac v. 28 (ed. Koe. [2] p. 118) ad verbum διμοιρίτης· διμοιρίτης ὁ διπλοῦν λαμβάνων τῶν στρατιωτῶν μισθόν.

in Aristophanis comici libris inveniuntur, de quibus sagaciter egit K. Holzinger „Über die Parepigraphä zu Aristophanes“ Wiener Studien 4. In Aristophanis codicibus parepigraphae tam veteres et tantae auctoritatis erant, ut iam a scholiastis Alexandrinis cum textu explanarentur. Ibi quoque eas inter versus scriptas esse Holzinger p. 30 exemplo dilucide ostendit.

Lindsayum errare conicientem (p. 139) Philodici et Phaedrae [1]) nomen ex Aulularιae parte deperdita suppletum iis, quae disseruimus, demonstratum esse puto [2]).

Strobilus Congrionem et operarios eius invitos in Euclionis aedes abeuntes „curare“ iubet (v. 363), quod verbum idem significat quod „servare“ (Aul. 81). Hanc Ussingii interpretationem iniuria Tartara [3]) eumque secutus Pressler refellere conantur dicentes hoc loco „curate“ absolute positum esse pro eo, quod est „cenam parate“ nempe cenam nuptialem. Hoc non necesse est cf. Plaut. Men. 351 sq.:

Sine fores sic, abi: nolo operiri.
Intus para, cura, vide.

Sed v. 363 alio mendo laborat. Strobilus postquam coquos, quos ad Euclionem misit, curare iussit, sic pergit:

ego intervisam quid faciant coqui.

Servus his verbis de iis coquis loquitur, qui v. 328 in Megadori aedes abierunt. Exspectamus igitur eum talia fere dicere „nostri coqui“, nam coqui ii quoque sunt, qui Staphylam v. 362 sequuntur. Leo pro „intervisam“ coniecit „intus visam“, quod satis sit ad domum erilem significandam. Hanc coniecturam, quam Pressler (p. 6) probat, non commendem, cum verbum intervisere in Plauti fabulis saepe inveniatur [4]). Neque iis, quae tradita sunt, vim inferemus et sensui satisfaciemus, si scribimus

ego intervisam quid faciant coqui hi [5]).

[1]) De hoc nomine infra agemus p. 81.
[2]) Pressler quoque p. 20 Lindsayi coniecturam non probat.
[3]) l. c. p. 195 sq.
[4]) Leo ipse coniecturam suam in textum non recepit.
[5]) Dziatzko l. c. p. 168 coniecit: ego intervisam hi quid faciant coqui.

„hi“ abbreviatura vel contractione litterarum neglecta facile omitti poterat post verbum „coqui“ in maiuscula scribendi ratione, maxime in fine versus [1]). Pronomen „hi“ hoc loco positum [2]) maiorem vim habet, ita ut vertere possimus „Die Köche da“. Strobilus sibi observandos esse servos dicit, ne quid rapiant. Talia verba Euclioni melius convenire quam servo Megadori C. M. Francken (Mnem. 19 p. 341) recte memorat. Euclio enim de suis timere non desinit. Cum nostro loco cf. Smicrinis verba in Menandri comoedia nuper reperta v. 21 sqq.

ἵνα μή τις εἴπῃ μ' ὅτι φιλάργυρος σφόδρα
οὐκ ἐξετάσας ὁπόσον ἔσθ' ὃ φέρει χρυσίον
οὐδ' ὁπόσα τἀργυρώματ' οὐδ' ἀριθμὸν λαβὼν
οὐδενός, ἑτοίμως εἰσενεγκεῖν ἐνθάδε
εἴασα. βασκαίνειν γὰρ εἰώθασί με
ἐπὶ παντί. τὸ γὰρ ἀκριβὲς εὑρεθήσεται,
ἕως ἂν οἱ φέροντες ὦσιν οἰκέται.
οἶμαι μὲν οὖν αὐτοὺς ἑκόντας τοῖς νόμοις
καὶ τοῖς δικαίοις ἐμμενεῖν· ἐὰν δὲ μή,
οὐδεὶς ἐπιτρέψει [3]). τοὺς δὲ γινομένους γάμους
τούτους προειπεῖν βούλομ' αὐτοῖς μὴ ποεῖν.
ἴσως μὲν ἄτοπον καὶ λέγειν [4]).

Fortasse Plautus hoc in Strobili soliloquio sententiis usus est, quae in exemplari Euclionis (cf. v. 371 sqq.) erant. Sed hoc non certum est. Strobili verba v. 364 sqq. non ad exemplum Men. fr. 129 Kock [5]) a Plauto mutatos esse, ut Geffcken (p. 11) voluit, iam Pressler ostendit (p. 40). Non bene hic locus a Leone [6]) cum Aesch. Choeph.

[1]) In fine versuum saepe abbreviaturas a librariis adhiberi in cod. A apographo a Studemundo confecto videmus cf. prooem. p. XXX.
[2]) Idem pronomen postpositum habes e. gr. Aul. 281: „tibicinas hasce“ δεικτικῶς usurpatum.
[3]) Quod Wilamowitz vertit „sin minus, nemo eis permittet (furari) i. e. ego intercedam“.
[4]) cf. Aul. 369: Sed verba hic facio quasi negoti nil siet.
[5]) Hoc fragmentum infra citabimus p. 88.
[6]) in ed. ad h. l.

v. 470 sq. K. comparatur, id quod Geffcken iam recte monuit [1]). Immo Plauti artem v. 368 prae se ferre censeo.

Postquam Strobilus in Megadori aedes abiit (370), Euclio e foro redit, quo se iturum esse v. 273 dixerat. In his haereo: V. 263 Megadorus Euclione consentiente se „parare" velle dixit. V. 280 Strobilus Megadori servus cum coquis, tibicinis, obsonio prodiit et omnia in duas partes divisit. Non ergo opus est Euclionem iterum obsonare. Inde quoque eum in exemplari obsonare in animo non habuisse cogi posse mihi videtur, quod cenam nuptialem in aedibus suis parari non vult, sed coquos aedibus expellit (v. 406 sqq.), ubi primum strepitum eorum intus audivit (v. 389) neque rursus intromittit [2]). Hoc consentaneum est, nam in foco aurum abditum est. V. 371 sq. Euclio dicit se animum inducere voluisse, ut bene se haberet filiae nuptiis, v. 383—385 idem animum ad suam sententiam accessisse dicit, ut quam minimo sumptu filiam collocaret. V. 373 Euclio se ad macellum venisse dicit, scil. ut obsonaret. Quod ergo rogat pisces e. q. s., putamus eum pecuniam habuisse, sed erant „cara omnia:

atque eo fuerunt cariora [3]), aes non erat".

Senem pecuniam omnino non habuisse v. 377 iterum dicitur. Hanc ob causam iratus abiit. Quomodo „illis impuris" (v. 378) Euclio „adiit manum"? An quod ei nihil erat, quo emeret? Nihilo empto inde abiit. Sed v. 385 subito comperimus eum tusculum emisse et coronas floreas. Habuit ergo argentum. Ut summam faciam eorum, quae disputavi: Plautus cum mores Euclionis quam avarissimos

---

[1]) l. c. p. 11 „Dieser Witz ist m. E. im Hinblick auf die famose kurze Antithese des letzten Verses, ein echt plautinischer und würde durch die Rückübersetzung in οἱ ἄνω — οἱ κάτω oder ὕπατοι — χθόνιοι entschieden verblassen. Plautus verwendet zudem einen spezifisch römischen Begriff, der dem griechischen wenn auch ähnlich so doch nicht entlehnt ist."

[2]) cf. infr. ad v. 460.

[3]) Hoc verbum v. 374—376 quinquies repetitur.

reddere studeret, avaritia adductum eum nihil obsonantem induxisse mihi videtur (usque ad v. 383) [1]). Sed in exemplo Graeco tus et coronas emit. Patres in Atticis fabulis ante nuptias celebrandas sacra facere solent cf. Antiph. fr. 206 Kock C. A. F. II²) (Senex quidam)

ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους
λιβανωτὸν ὀβελοῦ τοῖς θεοῖς καὶ ταῖς θεαῖς
πάσαισι, τοῖς δ' ἥρωσι τὰ ψαίστ' ἀπονέμων.

Heroi (Lari Aul. v. 386 cf. prol.) ergo praecipue dona dantur. Men. Sam. fr. 437 (Koe.² p. 61)

φέρε τὴν λιβανωτόν· σὺ δ' ἐπίθες τὸ πῦρ Τρύφη.

Men. Georg. v. 7 sqq. (adulescens quidam)

κατιὼν ὑπὸ νύκτα γινομένους ἑτέρους γάμους
καταλαμβάνω μοι, τοὺς θεοὺς στεφανουμένους
τὸν πατέρα θύοντ' ἔνδον.

Sam. v. 184—189 (Niceratus pauper, cuius filia hodie Demeae divitis vicini filio adoptivo nuptura est, sacra facere in animo habet):

Τουτὶ τὸ πρόβατον τοῖς θεοῖς μὲν τὰ νόμιμα
ἅπαντα ποιήσει θυθὲν καὶ ταῖς θεαῖς.
αἷμα γὰρ ἔχει, χολὴν ἱκανήν, ὀστᾶ καλά,
σπλῆνα μέγαν, ὧν χρεία 'στὶ τοῖς Ὀλυμπίοις.
πέμψω δὲ γεύσασθαι κατακόψας τοῖς φίλοις
τὸ κῴδιον. λοιπὸν γάρ ἐστι τοῦτό μοι [3]).

Euclionem ergo sacra facere in animo habuisse videmus. Ubi vero strepitum in aedibus suis audivit, aurum sibi rapi ratus intro contendit, praesertim cum Congrio aliquem coquum maiorem aulam e vicinia petere iubeat [4]). Dum Euclio intus est, Anthrax e Megadori aedibus exit, ut artoptam a Congrione peteret, Dromonem et Machaerionem

---

[1]) cf. et. Aul. 105 sqq.

[2]) cf. et. Leo „D. Monol. i. Dr." p. 45.

[3]) cf. et. versus sequentes cum Aul. 388 sqq. Iam plura de his dicemus.

[4]) De Apolline a personis fabularum invocato cf. p. 9.

coquos pisces purgare iubens. Dromo[1]) coquus in Terentii quoque Ad. v. 376 commemoratur:

pisces ceteros purga, Dromo,
gongrum istum maximum in aqua sinito ludere[2]).

Ad v. 400 cf. Sam. v. 71 sqq. (Parmeno servus et coqui e foro redeuntes sic colloquuntur):

(Coq.) Ἰδιῶτ'. (Par.) ἐγώ; (Coq.) Δοκεῖς γέ μ[οι, νὴ τοὺς θεο]ύς.
εἰ πυνθάνομαι πόσας τραπέζας μέλλετε
ποεῖν, πόσαι γυναῖκές εἰσι, πηνίκα
ἔσται τὸ δεῖπνον, εἰ δεήσει προσλαβεῖν
τραπεζοποιόν, εἰ κέραμός ἐστ' ἔνδοθεν
ὑμῖν ἱκανός, εἰ τοὐπτάνιον κατάστεγον,
εἰ τἄλλ' ὑπάρχει πάντα.

cf. et. Epitr. 385 sq. (Coq.)

οὐδεὶς . . . .[3]) ἕτερος ὑμῖν; (Smi.?) Ποικίλον
ἄριστον ἀριστῶσιν.

Hic quoque ex aedibus coquum prodire ampliorem supplectilem postulantem olim coniecit Sudhaus (cf. Koe. ad h. l.).

Euclio insequente scaena aurum coquos rapere velle suspicatus Congrionem furore inflammatus ex aedibus expellit. Is tragico metro (cf. Eur. Heracles v. 850–865) illius saevitiam nuntiat. Hanc scaenam exemplaris esse e Menandri locis similibus cogo cf. Sam. v. 202 sqq.[4]) (Niceratus pauper furibundus filiam peperisse suspicatus timet, ne Moschio gener eam deserat):

τὰ δεῖνα, μικρὸν ὦ τᾶν. οἴχ[ομαι,
πάντα πράγματ' ἀνατέτραπται, τέλος ἔχει (Niceratus intro contendit, Demeas div. vic.) νὴ τὸν Δία
οὑτοσὶ τὸ πρᾶγμ' ἀκούσας χαλεπανεῖ, κεκράξεται.
τραχὺς ἄνθρωπος, σκατοφάγος, αὐθέκαστος τῷ τρόπῳ.
ἐμὲ γὰρ ὑπονοεῖν τοιαῦτα τὸν μιαρὸν ἐχρῆν ἐμέ.
νὴ τὸν Ἥφαιστον, δικαίως ἀποθάνοιμ' ἄν. Ἡράκλεις
ἡλίκον κέκραγε[1]). τοῦτ' ἦν. πῦρ βοᾷ, τὸ παιδίον
φησὶ θύσειν, φησὶ πρήσειν, ὑϊδοῦν ὀπτώμενον
ὄψομαι. πάλιν πέπληγε τὴν θύραν. στρόβιλος ἢ
σκηπτός, οὐκ ἄνθρωπός ἐστι. (Niceratus redit.)

cf. et. Sam. v. 145—153 (Coquus postquam Demeas abiit):

Ἡράκλεις, τί τοῦτο, παῖ;
μαινόμενος εἰσδεδράμηκεν εἴσω τις γέρων.
ἢ τί τὸ κακόν ποτ' ἐστί; τί δέ μοι τοῦτο παῖ;
νὴ τὸν Ποσειδῶ, μαίνεθ' ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
κέκραγε γοῦν παμμέγεθες[2]). ἀστεῖον πάνυ,
εἰ τὰς λοπάδας[3]) ἐν τῷ μέσῳ μοι κειμένας
ὄστρακα ποιήσει πάνθ' ὅμοια. τὴν θύραν
πέπληχεν. ἐξώλης ἀπόλοιο Παρμένων
κομίσας με δεῦρο[4]).

Ad Aul. v. 406 sq. cf. et. Rud. v. 615 sq. (Trachalio)

Pro Cyrenenses populares, vestram ego imploro fidem,
agricolae, accolae, propinqui qui estis his regionibus.

Euclio Congrionem persequens (v. 415) manu prehendere studet. Haec quoque scaena Atticum spiritum redolet cf. Menandri locos modo citatos, Geffcken p. 13. Ad v. 417 (Eu.). Quia cultrum habes. (Conq.) Cocum decet. (Eu.) Quid comminatus' mihi?

Footnotes p. 44:

[1]) ἀπὸ τοῦ τρόπου sic appellatus (cf. Strobilus), nam in numero celeriorum coquorum est, quos Strobilus (!) suo ero tribuit (cf. 321) vid. Gatzert p. 63.

[2]) Haereo in v. 401 sq.: Tu istum gallum, si sapis
glabriorem reddes mihi quam volsus ludiust.
Claudicans additus est post v. 400. Exspecto eum nihilo intermisso post v. 399. V. 398 ii nomine appellantur, qui aliquid curare inbentur, non ita v. 401 sq. Gallus neque Terentii loco citato commemoratur neque Plaut. Stich. v. 359; Plautus facetias addere voluit.

[3]) Hunc locum Koerte sic supplevit „ἐχῖνος" Erotiani locum 73 = fr. 185 K ἔστιν ἐχῖνος χύτρας εἶδος μεγαλοστόμου καὶ μεγάλης. μέμνηται τῆς λέξεως . . . Μένανδρος ἐν Ἐπιτρέπουσιν secutus, feliciter, ut videtur. Quamquam Sudhaus („zu den Epitrepontes des Menander" Herm. 48 p. 14—28) mavult (p. 17) „ἂν ὤπτησ'".

[4]) Idem quoque metrum invenis.

Footnotes p. 45:

[1]) cf. Aul. 403.

[2]) cf. Aul. 403.

[3]) cf. Aul. 400.

[4]) cf. Aul. 334 sq. (Congrio coq.) o Strobile subdole,
hucine detrusti me ad senem parcissimum?
Parmeno servus Demeae et Moschionis filii adoptivi est.

conferre licet Men. Sam. v. 68 sqq.: (Parm. serv.).

μάγειρ' ἐγώ, μὰ τοὺς θεούς, οὐκ οἶδα σύ
ἐφ' ὅτι μαχαίρας περιφέρεις. ἱκανὸς γὰρ εἶ
λαλῶν κατακόψαι πάντα.

Euclio furore inflammatus coquos expulit, quod totam domum perscrutarentur (cf. v. 436 sqq.). In v. 441 sqq. haereo: Cur Euclio, si aulam aedibus auferre in animo habebat, eam non iam v. 415 secum extulit? Quo adducitur, ut iterum abeat? Neque eleganter haec causa adiungitur his verbis:

Adeo ut tu meam sententiam iam noscere possis.

Iam coquum ad aedes accedere vetat (442 sq.) et orationis finem facit iisdem fere verbis:

scis iam meam sententiam.

v. 445 Laverna dea Romana memoratur cf. Fest. Paul. p. 117 M. „Laverniones fures antiqui dicebant, quod sub tutela deae Lavernae essent, in cuius luco obscuro abditoque[1]) solitos furta praedamque inter se luere"; cf. et. Kiessl.-Heinze ad Hor. epist. I 16, 60[2]). Porro sententia, quae v. 446 invenitur

„pipulo te hic differam ante aedis"

exempli Graeci esse non potest. Romani eos, quos oderant, pipulo vel convicio diffamare (differre) solebant[3]). Verba „Quid ego nunc agam" (v. 447) similia sunt iis, quae v. 106 leguntur. Romani haec quoque sunt: „veni huc auspicio malo" (v. 447). V. 333 unius tantum tibicinae mentio fit, v. 451 vero Euclio „omnes coquos et tibicinas" intro abire iubet. Sententia „grex venalium" (v. 452) artem Romani sapere mihi videtur. Mirus quoque usus dicendi est[4]).

[1]) scil. in via Salaria.

[2]) Lavernam deam in exemplari Hermem fuisse coniecit M. Schuster („Quomodo Plautus Attica exemplaria transtulerit" diss. 1894 p. 62). Sed hac verborum versione indiligenti nihil lucramur. Cur Plautum non „Mercurius" vertisse putas, si in Graeca fabula „Hermes" deus erat?

[3]) cf. Norden „Einl. i. d. Altertumsw." I [2] p. 319.

[4]) Respicias quaeso has repetitiones: (intro) ire (abire, redire, ducere) v. 444 bis, 449, 451, 452, 455, 458, 459 bis; conducere v. 448, 455, 457; mecum v. 449 bis 458; merces 448, 456; vapulare v. 456, 457; nunciam v. 451, 453; coquere 453, 458; traiectiones veritatis et incerte dicta 443, 448, 449, 450, 451, 452, 453. Quomodo denique coquum a sene „mercedem petere" putamus? Vana iactatio a Plauto excogitata esse videtur, quam Euclio repellere studet verbis „lege agito mecum".

V. 451, 455, 458 coqui intro abire iubentur; e v. 459 et 460 vero cogitur coquos „in malum cruciatum" abire[1]) ut coquus in Epitrepontibus postquam haec dixit (Koe. v. 385 sqq.): ὢ τρισάθλιος

ἐγὼ κατὰ πολλά· νῦν μὲν οὖν οὐκ οἶδ' ὅπως
διασκεδάννυ[ντ]' ἐκ[τ]ός· ἀλλ' ἐὰν πάλιν
π[ίνητε καὶ χρεία] μαγείρου τις τύχῃ,
πει]ν[ῶντες ἄντικρυ]ς βαλεῖτ' εἰς μακαρίαν[2]).

Sin autem coqui non in aedes abierunt, Euclioni causa aulae intus petendae non erat. Quare verba, quibus Plautus Euclionem in aedibus aulam petentem (v. 441 sqq.) et coquos adducere conantem, ut redeant, inducit, ab exemplari alienos esse iudico (usque ad v. 458). Romanus ipse intellexit Euclionem postquam aurum intus petivit facere non posse, quin coquos in aedes suas redire iuberet[3]). Sed cum in exemplari eo non redirent, ne Plautus quidem eos redeuntes induxit[4]). In altera fabulae parte coquorum, qui in Euclionis aedibus erant, mentio non fit; v. 612 Euclio ut lavetur in aedes suas abit, quod rem divinam facturus est; v. 802 postquam a Lyconide filiam suam peperisse comperit, iterum in domum suam abit, sed de coquis nihil dicit[5]). Miror porro senem, quippe qui valde timeat, ne quis sibi aurum esse sentiat, solum in scaena relictum postquam Megadorum advenientem vidit (v. 473) non mo-

[1]) „Illic hinc abiit"; hoc dicitur coquum non in domum in scaena positam abiisse. Exempla infra collecta sunt p. 67 adn. 1.

[2]) cf. Sudh. Herm. l. c. p. 17 „Damit zieht der Koch ab und hat hier nichts mehr zu schaffen". Coniecturae supra uncis designatae Sudhauso debentur; sed Koerte me monet vix dici posse διασκεδάννυντ' ἐκτός.

[3]) Quo loco Euclio aulam ex aedibus suis extulerit infra quaeremus p. 78 sq. cf. et p. 73.

[4]) cf. Aul. 106 sqq. cum 177 sqq.

[5]) Euclio e. gr. antequam v. 615 abiit, si coqui in aedibus essent, similia iis dicere posset, quae Strobilus v. 363 sqq.

do non aulam aliquo condere, sed etiam aulam tenentem inde a v. 537 per quadraginta versus colloqui. Quae difficultas facile explicatur, si concedimus eum coquis expulsis et dimissis sine aula cum vicino in exemplari verba fecisse.

Euclio postquam coqui abierunt narrat (v. 460 sqq.), quo furore incensus sit. Haec in Graeca comoedia dixisse mihi videtur: Se in coquis rapacibus (cf. v. 464) expellendis tanta ira exarsisse, ut gallum, „furem manufestarium" fuste obtruncaret manubrio emisso [1]. V. 471 sic emendandum esse puto:

emisi ex manu manbrium meum [2].

Interea Megadorus e foro redit, quem conspicatus Euclio facere non potest, quin alloquatur. Megadorus, qui non statim cum Strobilo venit (cf. v. 356), de utilitate indotatarum uxorum verba facit. Fundamentum huius scaenae Graeci poetae esse viri docti intellexerunt cf. Hueffner p. 65, Geffcken p. 4. Orationis Megadori summa sententia in exemplo haec fuisse mihi videtur: Non dotis causa uxores ducendas esse. Talia aptissima fuisse, ad quae Plautus nugas de moribus mulierum Romanarum adderet, facile intellegitur. Testatur Livius XXXIV 1 M. Fundanium et L. Valerium tribunos plebis ad plebem tulisse de lege Oppia abroganda, quam secundo bello Punico M. Oppius tribunus plebis tulerat ad effrenatam mulierum luxuriam coercendam [3]. Sed hac de causa non totam scaenam cum

---

[1]) Quae Plautus de suo addiderit verba et sententias diiudicare difficile est. Certe in exemplo de aula non dixit me iudice „hoc" (464) vel „haec" (467).

[2]) Fortasse sic scriptus erat in archetypo:

EMISI **EX**MANV MANVBRIṼMEV̂.

„Meum" in fine facile omitti poterat (cf. Studem. apogr. cod. A p. XXX), praesertim cum littera m saepe in hoc versu occurreret. Pseud. v. 960 in fine sic scriptus est: PROXVMṼ = proxumum. „Emittere manubrium" idem est quod „excutere manubrium" cf. Epid. 525: Malleum sapientiorem vidi excusso manubrio".
„Exemi", quod traditum est, non satis intellegitur.

[3]) cf. Polyb. 32, 12.

Wagnero (p. 15 sq.) Plauto tribuo. Neque cum Goetzio facere possum, qui contendit (praef. ed. mai. p. IX) eam aperta retractationis vestigia prae se ferre. Megadorus civis Atticus urbanus postquam cum amicis communicavit se Euclionis pauperis filiam uxorem ducere velle ab illis laudatus est. Civitatem multo concordiorem esse putat, si omnes similiter agant. Dotatas ducat qui vult, dummodo ne dos comes sit.[1]) Multos sumptus et molestias is subit, qui dotatam uxorem sibi sumit.[2]) Omnium nugarum, quas mulieres amare solent, artifices in dies mariti dotatae uxoris aedes frequentant. Sed satis magna pars huius scaenae a Plauto excogitata esse videtur.[3]) Neque certum est Euclionem in exemplari Megadori soliloquium intercepisse. Fortasse haec pars in exemplari similiter composita erat atque Epitrepontes 427 sqq. cf. Koe. l. c. p.

---

[1]) V. 483 sq. et 492—497 colorem Romanum prae se ferunt: Mali mulierum mores et sumptus describuntur. Socorditer Plautus non suo loco de mulis „pretio qui superant equos" dicit. De „Gallicis cantheriis" cf. Varro de r. r. II 7. Iam Hueffner (p. 65) v. 494 sq. Plautinos esse coniecit. Euclionem de parsimonia verba facere volebat Plautus v. 496 sq.

[2]) Hueffner p. 65 dicit v. 504 ex exemplo ideo versum esse, quod vocabulo „moribus praefectum mulierum" Plautus Graecum „γυναικονόμον" vertisse videatur. Sed ne talibus verborum versionibus non accuratis nimium tribuas moneo (cf. quae de „magistro curiae" et „Laverna" diximus). Ussing ut demonstret moribus praefectum mulierum Latinam versionem verbi γυναικονόμος vel γυναικοκόσμος esse Cic. de re publ. IV 16 citat „Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, qui apud Graecos creari solet; sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus." Sed hoc loco non legimus „mulierum praefectus" vel „praefectus", sed „moribus praefectus mulierum" Hunc magistratum ioculator Romanus excogitavisse potest. Recte O. Fredershausen (l. c. p. 54) iudicat, qui probabile esse negat ipsum nomen „γυναικονόμος" in exemplari fuisse.

[3]) V. 525—535 non Attici poetae esse iudico. Occasione data Plautus Megadorum de sumptibus in universum verba facientem induxit, quae ad Megadori nuptias minime pertinent. De aere dicit, quod milites petunt. Apud Graecos eius aetatis, qua exemplum Aululariae scriptum est, milites non a privata persona aes petunt. Romae equitibus viduas divites et orbos, qui propter sexum aut

XXVIII „Charisius[1]) v. 427 ex aedibus prodit, at more Menandreo (cf. Ep. 165 sqq., 213 sqq., 432 sqq.,) neque ipse socerum statim aspicit neque ab eo aspicitur. Pergit igitur Smicrines v. 428 sqq. secum loqui, tum alter alterum agnoscit, sequitur colloquium agitatum.“ In Aulularia quoque colloquium acre sequitur. Euclio enim iratus iam in Megadorum vehementer invehitur, quod sibi aedes coquorum rapacium impleverit. Quae in Plauti fabula usque ad v. 549 praemissae sunt nugae rerum contextum valde turbant[2]) Tum senex queritur, quod vicinus tibicinam sibi miserit, (558 sq.)

„quae mi interbibere sola, si vino scatat,
Corinthiensem fontem Pirenam potest“

Eiusmodi homines Euclionem suspiciosum et ad rem attentum

aetatem militare non poterant, attributos fuisse, quo stipendio rem publicam iuvarent, tradit Livius I 43, 9, Plut. Cam. II. Sed haec non ad hunc locum quadrant, quo de viris agitur, qui dotatas uxores ducunt. Tribuni autem aerarii non de sua, sed de attributa pecunia stipendium pendebant cf. Mommsen, Staatsrecht III 195², Ussing ad h. l. Denique omnibus his verbis nihil efficitur. Miles infecta re abit (v. 531). „Incommoditates sumptusque intolerabiles“ (v. 533.) suo arbitrio Plautus exemplis e Romanorum vita sumptis illustravit. Argentarius apud Romanos multum valebat. Respicias quaeso has quoque repetitiones: 526: cedit miles, aes petit; 528: Miles impransus astat, aes censet dari. 527: putatur ratio cum argentario; 529: disputatest ratio cum argentario. 530: ipsus ultro debet argentario: Quae exaggeratio certe Plauti est.

[1]) Nescio an iniuria Koerte notam ad v. 427 ascriptam in Χαρίσιος pro Χαιρέστρατος (pater Charisii dissoluti adulescentis cf. Megadorus), quod nomen Lefèbvre legit, mutaverit (cf. Koe. p. XXVII sq.).

[2]) V. 536 Megadorus Euclionem conspicatus interrogat „Quid agis, Euclio?“ Sed Euclio non respondet se bene vel male valere, sed repetit similia iis quae 496 sq., 503 sq., 523 sq. dixit. Iterum confitetur se Megadori verba de parsimonia (quae maximam partem Plauti esse videntur) libenter audivisse (537 sq.). Iam nugae tamquam crinibus attractae de Euclionis sordidis moribus sequuntur (cf. Aul. 184 sqq., 240, 266 sqq., in quibus offendo). Ludit Plautus verbis „quod nunc habes“ v. 546 sq.. nam Euclionem aulam secum ferentem induxit; sed vicinum eam non videre miramur; immo sibi aurum esse anum palam fecisse putat! (cf. 189). Sententia e Romanorum vita desumpta iam (v. 549) interrogat: Quid tu te solus e senatu sevocas? (cf. similem v. 190).

aedibus eiecisse neque iterum intro misisse par est. Iam denuo molestae facetiae ad Euclionis mores depingendos sequuntur.[1]) Megadorus in Graeca fabula Euclionem exacerbatum eo placare studet, quod eum secum potare iubet. Sententia igitur v. 569—571 exemplaris esse mihi videtur, quod confirmari puto Aeliani locis, ep. agr. 15: Καλλιπίδης Κνήμωνι. Ὁ γὰρ Διόνυσος φιλεῖ τὰς μὲν ὀργὰς μαραίνειν τε καὶ κατακοιμίζειν, τὰς δὲ εὐφροσύνας ἐγείρειν. ἔσται δέ σοι ὁ αὐτὸς οὗτος θεὸς καὶ Παιών, καὶ ἀπολύσει τῆς ἀκράτου χολῆς. οἴνῳ σβέσας τὸ τοῦ θυμοῦ ὑπέκκαυμα — ep. agr. 16 Κνήμων Καλλιπίδῃ · ὑφορῶμαι δὲ καὶ τὸν οἶνον ὡς ἐπιβουλεῦσαι καὶ ἐπιθέσθαι γνώμῃ δεινῶς κρατερόν[2]). Megadorum re vera vinum afferendum curaturum esse iam Strobilus dixit v. 356. Qui iam sequuntur versus accurate

[1]) Neglegenter ad verba antecedentia hisce additae sunt: „Tum obsonium autem“. Sed etiam ioci inter se male coniuncti sunt: v. 561 „etiam agnum misi“, 567 „Caedundum conduxi ego illum. — Tum“ Verbum „agnum“ ter repetitum (561 bis 563) sequuntur ioci, qui ad verbum „curio“ additi sunt v. 562—564, qui non exemplaris esse possunt, quod latino verbo „cura“ poeta ludit. Nemo porro verba „legio“ (560), „lanterna Punica“ (566, cf. Lact. Placid. ed. Doering p. 61) Graeco tribuet. Eadem sententia v. 564—566 repetitur. Haerendum quoque est in his (568) „nam iam credo mortuost“. Nonne putare necesse est coquos agnum postquam v. 362 in Euclionis aedes abierunt si non iugulatum attulerunt, cecidisse? Certe coqui non mortem eius exspectabant. Plauti ars exaggerandi facile cognoscitur cf. v. 560, 562, 564—566, 568. Socorditer denique v. 568 et 569 conexi sunt. Leo ad v. 560—568 addit „Versus non apte adiecti“. Sed Plauto digni sunt.

[2]) Cnemonis senis nomen apud Menandrum occurrit cf. Choricii locum citatum (p. 6 sq.), Gatzert l. c. p. 16 sq. De personarum nominibus in Aeliani epistulis cf. Ribbeck (Verh. d. sächs. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl. X p. 21). Personarum fata in Menandri fabulis similia esse constat (cf. Koe. p. XXI), ita ut Cnemo similiter moratus esse videatur atque Smicrines et Euclio. Aelianum in epistulis componendis comicorum fabulis usum esse viri docti intellexerunt cf. Wilam. Herm. 40, p. 170. Sed Wilamowitz non satis demonstravit Ael. ep. 13—16 e Menandri Dyscolo desumptos esse, quod Ribbeck iam coniecerat (l. c.). Epistolographorum locos cum versibus Menandreis commode comparat M. Heinemann „Epistulae amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexandrinis“, Argent. 1910 p. 74 sqq.

me examinare necesse est. V. 570 Euclio Megadoro roganti, ut secum biberet, respondit: Non potem ego quidem hercle. Sed v. 572 aspere dicit:

nolo hercle, nam mihi bibere decretumst aquam.

V. 574 eadem verba inversa positione repetuntur:

tibi quoi decretumst bibere aquam.

V. 569 Megadorus dicit se cum Euclione potare velle. Eadem sententia Megadorus iterum, sed immodeste utitur v. 573:

Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe.

Nonne his verbis Plautus Megadorum ea inepte dicentem facit, quae suspicantem iam insequentibus versibus Euclionem cum aula abeuntem fingit, ut eam abdat „alicubi foris" [1]), v. 574 sqq.: Scio quam rem agat.

Ut me deponat vino, eam adfectat viam.

Post hoc quod habeo ut commutet coloniam.

Videtur igitur Plautus v. 569—571 ita in suum usum convertisse, ut causam inveniret, qua Euclionem ad aulam, quam secum habet, aliquo loco abstrudendam deduceret de scaena. Miramur Megadorum, qui cum Euclione se bibere velle dixit 569—571, vini subito omnino oblitum his dictis abire (v. 579):

Ego nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem.

Nonne hanc causam abrupte additam esse concedendum est? Causam, cuius Aul. 569—571 mentio fit, artius cum fabulae argumento cohaesisse censeo in Attico exemplo

[1]) Ad haec incerta verba cf. v. 118 et 177. Cf. porro Mil. glor. 576—595 et 861 sqq., in quibus iure viri docti haeserunt (vid. Ribb. Alazon p. 63, 68 sqq., aliis locis; Leo, Pl. F.[2] p. 185). Ibi v. 582 legimus:

Nam iam aliquo aufugiam et me occultabo aliquot dies.

592 sqq.: Redeo in senatum (cf. Aul. 549) rursum, nam Palaestrio domi nunc apud mest, Sceledrus nunc autemst foris. Frequens senatus poterit nunc haberier.

861: Fugiam hercle aliquo — 863: Missus sum aliquo —

867: Modo intellexi quam rem mulier gesserit (cf. Aul. 106, 447, 574). Quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suom | foras ablegavit. Haec Plautinissima esse iudico.

[2]) Respicias quaeso hunc dicendi usum.

quam in Plauti fabula. Nonne magis consentaneum est Euclionem iracundia (cf. 551 sqq.) missa quamvis invitum (cf. 570) Megadorum sequi, ut bibant (569, 571)?

In Ter. Ad. v. 754 sqq. Micio caelebs urbanus, qui fratris filium Aeschinum adoptavit,[1]) ad fratrem Demeam parcum rusticum versus haec dicit:

Iam vero omitte, Demea,
tuam istanc iracundiam, atque ita uti decet
hilarum ac lubentem fac te gnati nuptiis.

Iracundia Demeae aucta est, postquam in Micionis aedibus filium suum Ctesiphonem, quem frugi esse adhuc putabat, cum meretrice accubantem vidit (Ad. 782—788). Tamen Micioni contingit, ut Demeam placet (794—854):

794 (Mi.): Tandem reprime iracundiam atque ad te redi.

838 sqq. (Mi.): Mitte iam istaec: da te hodie mihi,
exporge frontem (De.) Scilicet ita tempus fert,
faciundumst.[2])

Megadorus in Plauti fabula solus in aedes suas abiit, Euclio aulam in Fidei fano abditurus est. Supra, cum de Aul. II 1 egimus, nullum illius scaenae locum repugnare apparuit, quominus Eunomiam et Megadorum in eadem domo scaenica habitare credamus. Euclionis aedes in scaena esse memorare vix necesse est (cf. prol.) Nunc ubi sit „fanum Fidei" inquiramus, utrum in scaena ipsa an loco extra scaenam sito. Euclio ipse dicit:

580 Edepol ne tu, aula, multos inimicos habes
atque istuc aurum, quod tibi concreditumst.
Nunc hoc mihi factust optumum, ut ted auferam,
aula, in Fidei fanum: ibi abstrudam probe.
Fides, novisti me et ego te; cave sis tibi,

[1]) Aeschinus filiam vicinae Sostratae (cf. Ad. v. 757, 787) pauperis compressit. Micio, qui eum adoptavit, Sostratam matrem eius virginis, quam filius adoptivus compressit, ducere cogitur. Hanc rem iam in exemplari Terentii fuisse censeo contra Lessingum. In Aul. Megadorus et Lyconides filius adoptivus, ut iudico, eandem virginem vicinam ducere volunt uxorem; cf. et. p. 19 adn. 2.

[2]) Similem locum infra p. 71 sq. e Menandri fabulis citabimus, cum in universum de hoc loco iudicabimus.

585 ne tu immutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te fretus tua Fides fiducia.

Postquam Megadorus in aedes suas abiit lavatum, ut sacra faciat, Euclioni non causam aulae abdendae esse sentio, praesertim cum Megadorus ne verbum quidem de aula dixerit.[1]) Ubi iam illi „multi inimici" sunt, quorum causa aurum ablaturus est? Verba Euclionis vana, se vicinum vino deponere velle (574 sqq.), nunc nullius momenti sunt. Tamen senex placide deliberat, ut aulam abdat. Tandem eam in „Fidei fanum" auferre constituit. Fidem (ut aulam) pronomine „tu" alloquitur (584—586). Fanum ergo in scaena esse videtur. Examinemus ceteros locos, quibus Fidei fani mentio fit. Euclio verbis supra citatis in Fidei fanum abit, ut aurum abdat. Interea (587 sqq.) Strobilus prodit secum de amore Lyconidis eri minoris loquens; redit Euclio e fano Fidei v. 608 his verbis:

Tu modo cave quoiquam indicassis aurum meum esse istic, Fides:
Non metuo ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situmst.
610 Edepol ne illic pulcram praedam agat, si quis illam invenerit
aulam onustam auri; verum id te quaeso ut prohibessis Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer, quin ubi accersat meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam.
615 Tuae fidei concredidi aurum, in tuo luco [et fano][2]) modost situm.

His quoque versibus senex Fidem pronomine „tu" alloquitur. Sed e v. 615 cogendum esse videtur templum vel potius „lucum [et fanum]" Fidei Plautum non in scaena ipsa, sed extra eam positum esse voluisse. Nam totam

[1]) Nam v. 545 sqq. nugas Plautinas esse apparuit.
[2]) delevi cf. infra ad v. 674 p. 79.

fabulam Athenis agi demonstravimus,[1]) non in luco Fidei. Miror quoque Euclionem iam de facultate inveniendi (v. 609 sqq.) et aulae in alium locum auferendae cogitare (614)[2]) quamquam causa non est. Plautus praesumit, quae sequi volebat. Sed audiamus Strobili quoque verba, quem Euclionis verba non effugerunt:

616. Di immortales, quod ego hunc hominem audio eloqui:
se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano Fidei;
cave tu illi fidelis quaeso potius fuerisquam mihi.
Atque hic pater est, ut ego opinor huius erus quam amat — ⏑ —.
620. Ibo hinc intro, perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
aurum, dum hic est occupatus. sed si repperero, o Fides,
mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, ubi id fecero.

Ex his quoque versibus apparet Plautum Fidei fanum in scaena sitam esse voluisse, quod etiam e v. 628 sqq. efficitur. Haeremus ergo praecipue in v. 615. Qui attento animo locos citatos saepius legerit, mirum usum dicendi animadvertet. Persaepe verbo „Fides" luditur cf. v. 583, 584, 586, 608, 611, 614, 615, 617, 618, 621, 622, infra v. 667, 676 (cf. p. 79)[3]) Quod Skutsch (Mus. Rhen.

[1]) p. 10
[2]) cf. et. „modo" v. 615.
[3]) Aliae repetitiones, in quibus offendo, hae sunt: aula, aurum vel aula auri v. 580, 581, 583, 608, 611, 614, 615, 617, 621; ego (567, 569,) 573, 577, 578, 579, 584, 616, 619, 623, 627; tu vel tuus (567, 569,) 573, 574, 580, 581, 582, 584, 585, 586, 608, 611, 615, 618, 622, 623; probe 573, 583, 609; nam 572, 577; nunc 582, 612, 614, 624; concredere 581, 585, 615 (infra v. 676 cf. p. 79); abstrudere 577, 583, 617; cavere 577, 584, 608, 618; invenire 609, 610, 620; reperire 621; coniunctio „si" vel „sin" 573, 579, 585, 610, 620, 621; facere 622, 623; edepol 580, 610; verum 611, 623. Incerte dicta et translationes veritatis; hoc quod habeo 576; hoc 585; hunc hominem 616; hic 619, 621; illi 618, alicubi foris (cf. p. 52 adn. 1) 577; quisquam 608, 609; quis 610; uspiam 620;

55 p. 280 adn. 1) dicit „Oft war anscheinend bei Menander, oder wer sonst der Dichter (scil. Aululariae) war, mit der Aehnlichkeit von πιστεύω und πίστις gespielt: Aul. 581, 585, 615, 676, die fidelia 622 konnte im Original ein πίθος gewesen sein. Es bedarf indes solcher Einzelheiten zum Beweise gar nicht; der Zusammenhang erweist diese ganze Szenenreihe als attisch", minus caute iudicare mihi videtur. Quod Skutsch (p. 280) pergit „In Athen gab es nicht nur wie in Rom einen Tempel der Fides — das steht fest durch die Stellen der Aulularia 583 ff., 608 ff., 667 ff., die auf das griechische Original zurückgehen müssen — sondern die Ἀττικὴ πίστις war sprichwörtlich," firmumne hoc argumentum esse concedemus? Ex hoc Aululariae loco non apparet Athenis Fidei fanum fuisse cf. Geffcken p. 7 „nur akzessorischen Wert hat es, dass .... der Tempel der Fides (583) sein griechisches Analogon in einem als attisch, nicht als athenisch namhaft gemachten Heiligtum der Πίστις (Diogen. II 80) [1]) findet". Romae vero Fidem multum valuisse et fanum publicum inde a Numae temporibus possedisse his locis illustratur: Dion. Hal. Antiqu. Rom. II 75 (dicit de Numa) Πίστιν δέ, ἧς οὔτε μεῖζον οὐθ' ἱερώτερον πάθος ἐν ἀνθρώποις οὐδέν, οὔπω σεβασμῶν τυγχάνειν οὔτ' ἐν τοῖς κοινοῖς τῶν πόλεων πράγμασιν, οὔτ' ἐν τοῖς

ut opinor 619; decretumst 572, 574; concreditumst 581; in latebris situmst 609; in tuo luco (ceteris locis de fano dicitur) modost situm 615 (cf. et. v. 676: certumst). Mala coniunctio sententiarum „atque hic pater est" 619. Ad Plauti rationem dicendi lectorem doctum ad Merc. 225 sqq. revoco (cf. p. 17 adn. 3). Hic Poen. 198 sqq. Milphionis servi verba citem, quae Plautina esse demonstravit G. Jachmann („Χάριτες" F. Leoni oblatae p. 258 et 272):

Inest amoris macula huic homini (cf. Aul. 604) in pectore.
Itaque hic scelestus homo leno Lycus.
Quoi iam infortuni intenta ballistast probe,
quam ego haud multo post mittam e ballistario.

Plura exempla, quae in Plauti fabulis perscrutandis collegi, citare supersedeo.

[1]) Corp. paroem. Graec. vol. I p. 209 Ἀττικὴ πίστις. ἐπὶ τῶν πιθανῶν καὶ πιστῶν καὶ εὐόρκων. ἱδρύσαντο γὰρ οἱ Ἀττικοὶ ἱερὸν Πίστεως. cf. ib. vol. II p. 316.

ἰδίοις. Ταῦτα δὲ διανοηθεὶς πρῶτος ἀνθρώπων ἱερὸν ἱδρύσατο Πίστεως δημοσίαν καὶ θυσίας αὐτῇ κατεστήσατο καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς δημοτελεῖς. cf. ib. V 65, Plut. Numa 16: Πρῶτον δέ φασι καὶ Πίστεως καὶ Τέρμονος ἱερὸν ἱδρύσασθαι καί τὴν μὲν Πίστιν ὅρκον ἀποδεῖξαι Ῥωμαίοις μέγιστον. Ad haec cf. Aul. 584 sqq., 614 sq., 667. Cf. porro Appian. bell. civ. I 16, Dio Cass. Hist. Rom. 45, 17, 3. Fides publica populi Romani in Capitolio colebatur cf. Otto (Pauly-Wiss. R.-E. VI col. 2281 sqq. s. v. Fides). Romani enim natura perfidiae indulgebant.[1])

Inepte Euclio v. 608—615 ipse arcanum prodit. Nulla alia causa Plautum eum haec dicentem inducere apparet, nisi ut Strobilum ea audientem faceret. Examinemus causam, qua Euclio se adductum esse dicit, ut aurum sibi rapi suspicaretur. V. 612 sq. se in aedes abire velle dicit, ut sacra faciat. V. 615 eo abit.[2]) Exspectamus igitur Euclionem non statim redire. Sed iam v. 624 e domo sua contendit. Sententiae „corvus cantat" (v. 624) et „voce croccibat" idem valent. Corvum sibi nunc ab laeva manu cantare senex dicit. Sed ubi semul radebat et voce croccibat? Num in aedibus, quo v. 615 abiit? Qua omnino de causa v. 624 rediit? Eo enim, quod corvus nunc ab laeva manu cantat, non adductus esse potest, ut exiret. Causam poeta v. 625 eo addere studet, quod praeterito tempore utitur. Haec non feliciter excogitata est.[3]) Mirae sunt hae sententiae (626)

cor coepit artem facere ludicram atque in pectus emicare.

[1]) cf. F. A. Lange „Gesch. d. Materialismus" I (ed. Ellissen, Recl. p. 140) „die Laster der Römer waren ursprünglich ... Härte, Grausamkeit und Treulosigkeit".

[2]) cf. Leo „D. Mon. i. Dr." p. 69, Spengel l. c. p. 298, Uss. ad h. l.

[3]) Melius inventi sunt Epid. 182 sqq. (Ep.)

St, tacete, habete, animum bonum.
Liquido exeo foras auspicio, avi sinistra —,

Stich. 459—463, Stich. 672 sq., Pseud. 762 sqq. (quem locum nescio an Plautus de suo addiderit), Asin. 259—263, quo de loco p. 74 adn. 2. fusius agemus. Omnibus his locis servo omen accidit.

Sed forsitan quispiam dixerit similia apud Graecos quoque poetas inveniri,[1]) ut Antiphan. fr. 59

ὦ πονηρὰ καρδία,
ἐπεχαιρέκακον, ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος.
ὀργῇ γὰρ εὐθύς, ἄν μ' ἴδῃς δεδοικότα —

vel in Plauti fabulis occurrere, ut Capt. 636 (Tynd. serv.)
Quin quiescis? ⟨i⟩ dierectum cor meum ac suspende te.
Tu sussultas, ego miser vix asto prae formidine.
Cist. 551 (Melaenis lena) Iam horret corpus, cor salit — vel apud Senecam (Med.) cor pepulit horror,
membra torpescunt gelu pectusque tremuit.

Certe hi loci Aul. v. 626 sqq. similes sunt, sed hic iocosas ambages invenis,[2]) illic breviter dicitur καρδία .... ὀργῇ, cor .... tu sussultas, cor salit, cor pepulit horror. Hic causa coacta, illic suo loco addita est. Hic dicitur „continuo cor coepit artem facere ludicram“, quamquam corvus nunc demum cantat: consecutio ergo causam antecedit. Plautus id egit, ut Euclio servum comprehenderet 628 sqq. Qua in re eandem inscitiam commisit quam v. 608—623, cum incommode senem de abdito, servum de rapiendo auro loquentes facit. Ne plura dicam: In ea parte fabulae, qua de aula Fidei fano abdita agitur, ob causas male inventas, res memoratas, dicendi rationem offendo.

Iam Strobili, Megadori et Lyconidis servi, soliloquium v. 587 sqq. perscrutemur. Prodit servus, qui in priore fabulae parte Megadoro servit, verba faciens de amore eri scil. iunioris, ut e v. 604 apparet; Megadorum in hac scaena „hic Megadorus“ (v. 604) appellat quasi non sit erus. Quid Strobilus oratione sua efficere vult? V. 587—591 dicit in universum servi esse facere, quod dominus velit; 592—602 servum, ut ipsum, ad salutem dominum amantem retinere necesse esse. V. 592—598 Brix eumque secuti Goetz-Schoell, Leo delent.[3]) Brix hos versus non

[1]) cf. Leo l. c. p. 100.

[2]) Quamquam ne omnes quidem ceteri loci e Plauti fabulis modo citati mere ex exemplari versi esse videntur.

[3]) Koerte his adstipulatur.

ad Aululariam pertinere putat, quod hoc loco de ero agatur meretricio amore capto. Idem Leo iudicat. Goetz hos versus „pervetusta interpolatione“ ortos esse censet. Pressler (p. 27) v. 592—598 fragmentum verborum, quae ante retractationem fecerit Strobilus esse ratus servum non iniuria Lyconidem retinere ab amore filiae „Euclionis pauperis“ contendit. Sed servi nihil interest, sitne virgo, quam erus uxorem ducere vult, pauper necne.[1]) Praeterea re vera Euclionis filia non pauper est. Sed viri docti, qui hos versus delent, non plane intellexisse mihi videntur, quid Strobilus velit his verbis. Haec enim est sententia soliloquii servi: Suum esse Lyconidem, postquam audiverit (cf. 604) Euclionis filiam, quam adulescens amet (cf. v. 603), avunculo dari, „retinere ad salutem, non quo incumbat eo impellere“ (v. 594) i. e. eum a desperatione servare,[2]) cum nesciat, quid sibi iam faciendum sit, eumque in rebus amatoriis adiuvare. Quod qui intellexerit concedet v. 592—598 non delendos esse. Quamquam non feliciter additi ad antecedentes, tamen Plauto non indigni sunt.

Miramur Strobilum multa et incerta verba facere de officio servi (587—602), de amore vero Lyconidis haec tantum dicere (603 sq.)

Nam erus meus amat filiam huius Euclionis pauperis.
Eam ero nunc renuntiatumst nuptum huic Megadoro dari.

V. 587—602 multis ambagibus compositi ad ea spectant, quae his duobus versibus comperimus. Hi tamquam semen totius scaenae sunt. Mirum est Strobilum dicere „ero nunc renuntiatumst“, quippe qui, cum Megadorum in nuptiis parandis adiuverit, optime sciat Euclionis filiam Megadoro uxorem dari, et aptissimus esse videatur, qui Lyconidem de hac re certiorem faciat. Sed non licet concludere Strobilum „renuntiatumst“ dicere non posse, si et Mega-

[1]) In Menandri Samia Moschio filius Demeae divitis (cf. 161—167) adoptivus filiam Nicerati pauperis (cf. 184—189) vicini Demea ipso auctore (cf. 119) uxorem ducit.

[2]) Similes locos infra e Menandri fobulis citabimus p. 72.

dori et Lyconidis servus sit. Certe exspectamus servum „renuntiavi" dicere, sed saepius in hac Aululariae parte verba impersonaliter usurpata invenimus.[1]) Si Lyconides non a servo compererit Megadorum Euclionis filiam uxorem ducere velle, vel, si servus, qui hic prodit, non idem sit, qui Megadoro obsonavit, a nulla alia persona Lyconides de avunculi consilio certior fieri potuit nisi ab Eunomia matre, quippe quae cum fratre (120—176) de eius nuptiis futuris collocuta sit. Cur ergo servus non dicit: eam ero nunc matri [2]) renuntiatumst e. q. s.? An putas Lyconidem servum de persona celavisse, a qua certior factus est de Megadori consilio? Hoc ab usu novae comoediae, maxime Menandreae, alienum est. Haeremus iterum in incerta sententia. Verbo „renuntiatumst" Plautus idem dicere volebat, ni fallor, quod „mihi (= a me) renuntiatumst" = renuntiavi cf. Aul. 572 „mihi decretumst" = decrevi; 574 „Tibi quoi decretumst" = te (cf. 573, attractio relativi), cui decretumst = qui decrevisti; 609 „Ita probe in latebris situmst" = mihi (= a me, quod omissum est ut v. 604) situmst (positumst) = posui; 615 „In tuo luco [et fano] modo s i t u m s t"; 581 „aurum, quod tibi concreditumst" = quod t i b i m i h i (= a me, quod omissum est ut 604) concreditumst. Hoc exemplum magni momenti est; nam eo praecipue, quod dativus personae, cui aliquid concreditum (581 tibi) vel renuntiatum (604 ero) est, iam additus erat, Plautum adductum esse veri simile est, ut dativum = a c. abl. eius personae, a qua aliquid concreditum vel renuntiatum est, omitteret. Aul. 604 scribere debebat

eam e r o m i h i nunc renuntiatumst,

sed dativum „mihi" ne adderet eo facilius permotus est, quod eodem versu iam alius dativus „huic Megadoro" sequebatur. Iam de verbis „huic Megadoro" agamus. Sic servum de ero maiore loqui mirum est. Sed hoc non ab usu Plau-

[1]) cf. p. 55 adn. 3.
[2]) = a matre.

tino alienum esse exemplo demonstrabo. In Pseudoli exemplo non Ballionis diem natalem, ut in Plauti fabula, sed Dionysia acta esse A. Schmitt [1]) demonstravit. Ps. III (775 sqq.) puer Ballionis [2]) prodit his verbis:

nunc h u i c l e n o n i hodie est natalis dies;
interminatus est a minumo ad maximum,
si quis non hodie munus misisset sibi,
eum cras cruciatu maximo perbitere.
Nunc nescio hercle rebus quid faciam meis [3])
neque ego illud possum, quod illi, qui possunt, solent.
Nunc nisi l e n o n i munus hodie misero,
cras mihi potandus fructus est fullonius.[4])

Eodem iure, quo Plautus puerum lenonis erum „huic lenoni" vel „lenoni", Megadori quoque servum erum „huic Megadoro" appellantem inducere potuit. Quae cum ita sint, nonne servum „huius Euclionis" (v. 603) dicere posse putabimus, quamquam eum, cum vicinus sit, novit?[5])
Neque e v. 605 „Is speculatum h u c m i s i t me"
cogi potest (Pressler p. 10) Lyconidis servum non e domo in scaena posita venisse cf. Amph. 19 sqq. (Mercurius a Jove ex Amphitruonis aedibus in scaena positis, e quibus Juppiter ipse v. 499 cum Alcmena exit, missus dicit):

Jovis iussu venio: nomen Mercuriost mihi;
Pater h u c m e m i s i t ad vos e. q. s.

Iam ad v. 606 sq. adeamus.

Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam sacra.
Hinc ego et huc et illuc potero quid agant arbitrarier.

Miror servum in ara considere, quamquam non supplex est. Nisi supplices in ara neminem in tragoedia vel comoedia considere constat cf. Rud. III 2: Ambae puellae in Herae ara considunt, ut dea se a Labrace lenone tuea-

[1]) De Pseudoli Plautinae exemplo Attico. diss. Arg. 1909 p. 9.
[2]) cf. Ps. 789 (Puer): Erus eccum recipit se.
[3]) cf. Aul. 106, 447, 574.
[4]) His quoque bene Plauti ars dicendi illustratur: (Ps. 243) Hodie nate, heus hodie nate, tibi ego dico, heus hodie nate.
[5]) V. 616 dicit „hunc hominem", 619 et 621 „hic" cf. p. 55 adn. 3.

tur, qui eas vi secum ducere conatur (Rud. 760, 783 sq., 796). Most. 1094 Tranio servus ne in vincula a lorariis coniciatur aram occupat.[1]) Sed nullus tragoediae vel comoediae locus excepto Aul. v. 606 sq. invenitur, quo otiosi in ara considunt.[2])

Miror quoque, quod servus dicit se „sine omni suspicione“ considere. Nescio, quo Strobilus suspicionem alicuius movere possit, si a Lyconide missus est exploratum, quae fierent scil. in virginis quam compressit aedibus, nisi hoc concedimus: Plautus insequentibus versibus (608 sqq.) Strobilum Euclionis verba, quae de auro Fidei fano abdito fecit, auribus captantem inducere voluit. Quod ergo servus dicit se „sine omni suspicione“ in ara considere velle, neminis suspicionem in animo habet nisi Euclionis. Iterum Plautus non feliciter causam, quam additurus est, praesumit. Poeta ipse deliberare videtur, quomodo efficere possit, ne ab Euclione e Fidei fano iam redituro et de auro abdito locuturo conspiciatur. Sed talia servum dicere, qui quae futura sint nescit, absurdum est. Ad Euclionis verba audienda ea quoque pertinent, quae Strobilus v. 607 dicit: Hinc ego et huc et illuc potero quid agant arbitrarier.[3]) Qui verbis „et huc et illuc“ Megadori et Euclionis aedes intellegendas esse ratus cogit Lyconidem non apud avunculum in eadem domo scaenica habitare errat. Verbis „et huc et illuc“ poeta intellegi vult Fidei fanum et Euclionis aedes. Plautus enim imprimis de fano Fidei cogitavit, quod versu insequente Euclio inde redit de auro abdito verba faciens, quae servum audire volebat; de Euclionis autem aedibus ideo, quod et servus in exemplari eo missus esse videtur[4]) et Plautus Euclionem illuc v. 615 abeuntem fac-

---

[1]) Cf. Dieterich, „Pulcinella“ p. 9—13, Leo Pl. F.[2] p. 160 adn. 4, Koerte, Men.[2] p. LIV. Fusius de his quaestionibus egit Fridericus Schmidt, „De supplicum ad aram confugientium partibus scenicis“ diss. Regim. 1911.

[2]) cf. Uss. ad h. l.

[3]) i. e. arbiter esse, spectare vel audire aliquid. cf. Uss. ad h. l.

[4]) cf. v. 815, infra p. 68 sq.

turus est, ita ut Strobilus a sene non conspectus ad aulam rapiendam in fanum abire possit. Servum autem in Megadori aedes missum esse nusquam dicitur.

Comparationem verbosam v. 595 sqq.:

Quasi pueri, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
qui laborent minus, facilius ut nent et moveant manus:[1])

Eodem modo servom ratem esse amanti ero aequom censeo,
ut toleret, ne pessum abeat,[1]) tamquam . . . . .
cf. cum Mil. glor. v. 581.

Numquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam
et Mil. glor. v. 607 sq.:

Sed speculabor,[2]) ne quis aut ab laeva aut dextera[3])
nostro consilio venator adsit cum auritis plagis —,[4])
in quibus viri docti haeserunt.[5])

Iam v. 600 altera comparatio sequitur, quae similiter atque supra citata e vitae consuetudine eorum hominum desumpta est, quorum Plautus ipse erat. Romanos poetas non raro equorum exemplo uti ad celeritatem significandam locis docemur, quos de Wyss („Die Sprichwörter bei den Römischen Komikern“ Diss. Zürich p. 78 sqq. s. v. „Pferderassen“) et Otto („Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten bei den Römern“ p. 293 s. v. „quadriga“) collegerunt. Neque facile quisquam sententias „abstinebit censione bubula“ (601). „nec . . . . rediget umquam in splendorem compedes“ (602) Graeco poetae tribuet. Sententiam Aul. v. 600 Romani esse affirmatur iis, quae Keseberg dicit[6]) „Romanis autem notissima et apud ipsos orta erat fabula, ad quam alludit Amph. 450. . . . . Quam quadrigam cum Veientes urbe

---

[1]) Eadem sententia duplici ratione dicitur.

[2]) cf. Aul. 605.

[3]) cf. Aul. 607.

[4]) cf. Aul. 608 sqq : Strobilus „cum auritis plagis“ Euclionis verba de auro abdito facta captat.

[5]) cf. supra p. 52 adn. 1, Ribbeck Alazon p. 68, qui recte de hac Militis gloriosi parte iudicat.

[6]) „Quaestiones Plautinae et Terentianae ad religionem spectantes“, Lips. diss. 1884 p. 23 sq.

capta Romanis victoribus tradere nollent, fama fert maxima celeritate Romam cucurrisse nec equos prius stetisse quam in Capitolium advenissent. Quo factum est, ut si poeta de quadriga Iovis vel de quadrigis albis loquitur, summam celeritatem significare velit." [1]) Omnino permulta proverbia, quae in Plauti fabulis inveniuntur, non in exemplis fuisse satis certum est.[2])

Quis denique rationem dicendi hac in scaena insolitam esse non sentit? Repetitur e. gr. verbum „servus" v. 587, 589, 591, 593, 597; „servire" 589, 592 bis; „servitus" 592; „erus" 589, 590, 592, 593, 597, 603, 604; „imperium erile" 588: „erile imperium" 599.

Iam quid in universum de Aul. 572—627 iudicandum sit videamus. Apparuit causas male excogitatas esse, offendere incerte dicta, sententias male conexas[3]) nec non trita vocabula, res maxime Romanas memorari. Quaeramus, quid ad fabulae argumentum producendum aurum in Fidei fano abditum valeat. Strobilo (cf. 628 sqq.) non contingit, ut aulam sibi comparet. Quam ob rem senex aulam iterum, in Silvani lucum, aufert (674 sqq.), ut servus eum auro emungere possit. Cur primo id ei non contingit? Quod in exemplari, si quid video, semel, in Silvani luco, aurum abditum erat. Causam, quae in Graeca fabula semel

---

[1]) Asin. v. 275—287, qui a Plauto additi esse mihi videntur, quadrigarum mentio fit cf. 279:

numquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.

His verbis Plauti ars bene cognoscitur:

276 sq. Etiam (cf. Aul. 561) de tergo ducentas plagas praegnatis (cf. Aul. 601 sq.) dabo.

Largitur peculium; omnem in tergo thensaurum gerit e. q. s.

Ex Amph. v. 445—455 a Plauto, si quid video, additis, hoc citem 450 sq.:

Quadrigas si nunc inscendas Iovis
atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

[2]) cf. et. de Wyss l. c. p. 111 „. . . so glaube ich . . . ., dass . . . . die Originalität, der Erfindungsgeist und die packende Art der Darstellung dieses grössten und produktivsten unter den römischen Komikern (scil. Plauti) gerade auch auf dem Gebiet der Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten glänzend hervortritt."

[3]) cf. v. 574, 582, 592, 603, 606, 612, 614, 619.

occurrit, Plautus duplicavit. Aurum Silvani luco abditum cum actione fabulae arte conexum est et ad solvendum nodum permultum valet (cf. v. 766). Non ita aurum in Fidei fano abditum, quod si tollimus progressus actionis fabulae non impeditur, sed expeditur. Nihil nisi facetiae hac in parte insunt: Fides infidelem se praebuit Euclioni. Quae dea in oribus omnium Romanorum erat, praesertim Plauti aetate. Cuius malum exemplum secundi belli Punici temporibus Hannibal exstitit (cf. Otto l. c. s. v. Punicus). Nonne igitur spectatoribus Romanis has nugas ad perfidiam pertinentes placuisse patet? Plautus autem postquam sua addidit non ad eam audaciam pervenit, ut pro Silvani luco Fidei fanum supponeret. Hoc enim si fecisset coactus erat omnes locos, qui in exemplari ad aulam Silvani luco abditam pertinebant, delere.

Sed qualis fuit haec pars in Graeca fabula? Supra (p. 53) verisimile esse diximus Megadoro in exemplari contigisse, ut Euclionem iratum placaret et secum in aedes duceret, ut ad nuptias celebrandas biberent (cf. 571). Postquam abierunt, fortasse nova scaena coepit.

Qui concesserit probabile esse in exemplari aurum Fidei fano non abditum fuisse, eum concedere quoque necesse est Strobilum non eadem verba illic fecisse, quae apud Plautum 587—607; Romanum hanc exempli partem in suum usum convertisse et sic formavisse, ut quae voluit sequi possent, et per se liquet et in interpretando Strobili soliloquio apparuit.

In Plauti fabula Lyconides adulescens amans his dictis cum Eunomia matre primum prodit[1]) (682)

Dixi tibi mater: iuxta mecum rem tenes
super Euclionis filia.

His verbis adulescentem amantem in comoedia primum prodire non posse censeo. Immo necesse est iam in priore parte eum prodiisse et de re „super Euclionis filia" cum aliquo, fortasse cum servo, egisse. Haec ne repetat ante

---

[1]) Scil. e Megadori aedibus.

spectantium aures ea verba facit, quae v. 682 sq. leguntur. Trin. 602 sq. (Stasimus servus cum Callicle tutore Lesbonici Charmidis filii e Calliclis aedibus exiens):

(Call) Quomodo tu istuc, Stasime, dixti? (St.) Nostrum erilem filium
Lesbonicum suam sororem despondisse e. q. s.

De eadem re inde a. v. 443 Stasimus cum Lyconide ero et Philtone sene egit et Calliclem adire constituit v. 600. Cf. ib. 729 sqq. (Megaronides et Callicles senes in scaenam prodeunt).

(Meg.) Ut mihi rem narras, Callicles, nullo modo
potest fieri prosus quin dos detur virgini e. q. s.

De iisdem Callicles (602–614) cum Stasimo servo egit et Megaronidem adire constituit 614. Poen. 961 (Agorastocles adulescens cum Milphione servo ante aedes prodit):

(Ag.) Ain tu tibi dixe Syncerastum, Milphio,
eas esse ingenuas ambas surrupticias . . . .?

His verbis spectatores breviter ad ea revocantur, de quibus v. 813–916 Milphio cum Syncerasto servo locutus est (cf. 894 sq.). V. 912 Milphio a Syncerasto iussus est ea Agorastocli clam narrare, quae ei mandavit,[1]) 929 Milphio in Agorastoclis aedes abiit.

Asin. 851 (Artemona mulier cum Diabolo parasito aedibus exit) Art.:

Ain tu, meum virum hic potare obsecro cum filio
et ad amicam detulisse argenti viginti minas?

Ibidem v. 810–827 inter Diabolum adulescentem et parasitum ita convenit, ut parasitus matrem Diaboli adiret, abiit parasitus 827 se hoc curaturum esse dicens.

Men. 889 (Senex cum medico prodit)

Med.: Quid esse illi mihi dixeras? Narra, senex.

De morbo autem Menaechmi II iam V 2 satis multa acta sunt; 875 abiit medicum arcessiturus.

[1]) Poen. 916–926 pleni sunt facetiarum Plautinarum. 916 cf. cum Aul. 103; 917 sq. similes sunt 923; 920 v. 929; cum 924 sq. cf. Aul. 393, 397, 627; 923–929 ut dittographiam delet Weise aliique viri docti. Rectius iudicat Jachmann l. c. p. 272.

Cist. 631 (Melaenis lena cum Selenio meretrice prodit). Mel.: Rem clocuta sum tibi omnem: sequere ⟨hac⟩ me, Selenium e. q. s. Inde a 597 Melaenis cum Lampadione servo de hac re collocuta 629 se Selenium adituram esse dicit.

Omnes vero locos similes, quos in Plauti et Terentii fabulis inveni, exscribere longum est cf. Pseud. 694 cum sc. I 3, maxime v. 391 et 393; Mil. gl. 874 cum 782 sqq., 802 sq.; Pers. 181 cum 127–167; Rud. 839 cum sc. III 4, maxime v. 775–779; Rud. 1265 cum 1171 sqq., 1224 Trachalio abiit; Ter. Phorm. 315 cum antecedente scaena, Geta 308 abiit, ut Phormionem arcesseret; Ter. Eun. 391 cum sc. II 2 (cf. 275) [1])

[1]) Nihil ex Andr. 301 (Charinus): „Quid ais, Byrria?" ad hanc quaestionem disceptandam effici potest, cum teste Donato (ad prol. v. 14) Terentius Charini Byrriaeque partes de suo addiderit (cf. Don. ad 301). Non aliter de Sosia servo Hecyrae Terentianae (cf. Hec. 415 sqq.: Parmeno servus, qui a Pamphilo ero pueris obviam currere iussus est; 359 cum illis prodiens ad Sosiam versus dicit:

Ain tu tibi hoc incommode evenisse iter?)

iudicandum est, cum Sosia alio Hecyrae loco non prodeat et colloquium servorum ab argumento fabulae alienum sit, quod iam Donatus animadvertit, qui dicit (ad h. l.) „Sed perfecti poetae est ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus teneatur. Nam in hac scaena donec perveniat ad Pamphilum Parmeno hoc εὕρημα inducitur, cum ostenditur, quid mali sit navigatio". E Terentii quoque Heaut. 242 (Syr.: Ain tu? Dr.: sic est) nihil cogi potest, cum adhuc sub indice lis sit, quale Menandri exemplum fuerit, cf. Schanz, Röm. Lit. I 1³ p. 147 sq. Non recte O. Koehler „De Heaut. compositione" Lips. 1908 iudicare mihi videtur, qui dicit „Heaut. . . . . Terentiana . . . . fabula mere est Graeca, ὅλη καὶ τελεία", cf. Kauer, Berl. ph. Woch. 29 col. 1022 sqq. Neque ex Epidici v. 104 (Stratippocles cum Chaeribulo prodiens dicit:

Rem tibi sum elocutus omnem, Chaeribule, atque admodum
meorum maerorum atque amorum summam edictavi tibi)

quicquam concludi potest. Viri docti recte iam intellexerunt Plautum in antecedente fabulae parte ab exemplari recessisse cf. Dziatzko (Mus. Rhen. 55 p. 109), qui Plautum Periphanis soliloquium omisisse coniecit. Leo (Pl. F.² p. 199) prologum, quo spectatores de nonnullis rebus certiores facti essent, excidisse iudicat. Equidem Stratippoclem iam antea in exemplari prodiisse et primam scaenam in Plauti fabula a Romano compositam esse censeo. Cum v. 78 sqq. (Th.):

Ex exemplis modo citatis hanc summam facio: Fieri non potest, quin Lyconides iam priore aliquo loco in exemplari in scaenam prodierit, quod Geffcken iam intellexit.[1]) Mihi haec pars Atticae fabulae talis fuisse videtur: Postquam Euclio Megadorum in aedes eius secutus est (post Aul. 571), initio insequentis actus Lyconides cum Strobilo servo, qui in priore fabulae parte Megadorum in forum secutus est (264) et inde reversus v. 370 in eri aedes rediit, ex avunculi domo, in qua cum matre habitat, miserias suas lamentans prodiit,[2]) similiter atque in Menandri Peric. 77 sqq. Moschio adulescens cum Davo servo vel in Sam. 271 sqq. Moschio adulescens et Parmeno servus de re amatoria loquuntur.[3]) Strobilus a Lyconide ad Staphylam

Abi in malam rem maxumam a me
cum istac condicione. (Ep.) I sane, siquidem festinas magis.
(Th.) Numquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentius

cf. Aul. 459 sq. et versus antecedentes: Ut Epidicus non, quod se facere iussum esse v. 68 dicit, ad Chaeribulum in scaena habitantem (cf. Ep. 157, 379) abit (cf. 81), ita coqui in Aul. non, quod 451—458 facere iubentur, intro abeunt coctum cf. Aul. 460. Verbis „illic hinc abiit" dicitur personam de scaena abire cf. Capt. 901, Poen. 445, 917, Mil. glor. 586 (Mil. glor. 585 iniuria viri docti delere solent cf. Ep. 78 sqq. cum 68 sq., Anl. 459 sq. cum 451—458), Pseud. 394. Sed si persona in domum scaenicam abit, „intro huc" additur cf. Pers. 200.

[1]) p. 13 „Jeder Leser der Aulularia fühlt sofort heraus, dass der jugendliche Liebhaber viel zu spät auftritt. Es ist nach der Sitte der Komödie unumgänglich nötig, dass im Original Lykonides seinem Sklaven Mitteilung von seinem Liebesleid machte, dass dann auf Grund gemeinsamer Beratung der Sklave sich anschickte auszuspionieren, was im Gange sei. So wie es bei Plautus dasteht (Vs. 603 sqq.), wo der Sklave die Vorgeschichte mit zwei Worten erzählt, kann es im Original nicht gelautet haben. Plautus hat eine Szene gestrichen und setzt nachträglich die Hörer in Kenntnis von dem Hauptinhalt des Gesprächs."

[2]) Lyconides fortasse in parte domus avunculi cum matre habitavit, ita ut bibentibus non occurreret cf. Chr. Jensen („Zu Menanders Epitrepontes" Mus. Rh. 65 p. 635) „Es war also (sc. in Epitrepontibus) auf der Bühne ein besonderer Eingang des Frauengemachs, das demnach auch Smikrines erreichen konnte, ohne auf die Zecher zu stossen."

[3]) Non neglegendum est Plautum servum eodem metro 587 sqq. loquentem fecisse, quo Moschio et Davus Peric. 77 sqq. et Moschio et Parmeno Sam. inde a v. 325 colloquuntur.

in Euclionis aedes missus est exploratum, quomodo res se haberent cf. Aul. 815 (Lyc.)

Credo ego illum ut iusseram ipse [anum] adiisse huius
nutricem virginis.[1])

Hunc locum in suum usum mutavit v. 605. Ad Aul. 815 cf. Men. Peric. 105 sqq. (Moschio adulescens servum e scaena ad matrem in domum scaenicam mittit his dictis):

εἰσιὼν δέ μοι σὺ Δᾶε τῶν ὅλων κατάσκοπος
πραγμάτων γενοῦ, τί ποιεῖ, ποῦ ᾿στιν ἡ μήτηρ, ἐμέ
εἰς τὸ προσδοκᾶν ἔχουσι πῶς· τὸ τοιουτὶ μέρος
οὐκ ἀκριβῶς δεῖ φράσαι σοι. κομψὸς εἶ. (Dav.) πορεύσομαι.
(Mosch.) περιπατῶν δὲ προσμενῶ σε πρόσθε τῶν θυρῶν ἐγώ.

Sam. 313 sqq. (Moschio servum hoc facere iubet) θᾶττον εἴσιθι εἴσω [2]). (Par.) τί ποήσων; (Mosch.) χλαμύδα καὶ σπάθην ἔνεγκέ μοι e. q. s. [3]).

Peric. 60 (Sos. serv.) περιπατεῖν με βούλεται (scil. Polemo miles).
Peric. 156 (Mosch.) ποῦ σε δήσας καταλίπω
Δᾶε; περιπατεῖν ποεῖς με περίπατον πολύν τινα.

Inde, quod Lyconides non certe scit servum ad Staphylam iisse (credo 815) cognoscitur adulescentem non iam in scaena fuisse, cum Strobilus abiit i. e. Lyconidem priorem colloquio finito in Megadori aedes abiisse, ut cum matre rem amatoriam communicaret, tum Strobilum in scaena remansisse Staphylam adire et hoc facto ambulantem (περιπατοῦντα) ante domum erum exspectare iussum, quod ex Aul. 680 (Strob.)

[1]) Vulgo sic legitur „ut iussi eampse anum adiisse". Sed codd. haec praebent: utius si B, eam ⊔ pse B_1, eam apse DE, eam adse JF, „eampse" olim emendatum est; „iusseram ipse" conieci cf. p. 80; Mendum maiuscula archetypi scriptura facile oriri poterat UTIUSSERAMIPSE cf. Sicker l. c. p. 197 sqq.; „anum" delevi; in margine ad „huius nutricem virginis" olim additum esse mihi videtur cf. v. 812, ubi „Strobilum" false irrepsit, et 615 (vid. p. 79).

[2]) scil. in aedes patris adoptivi.

[3]) Moschio patri adoptivo suspicato filium cum Chryside concubuisse ita irascitur, ut in Bactriam vel Cariam (Sam. 283 sq.) stipendia merendi causa proficisci constituat. Sed amor Plangonis eum retinet (285). Quamquam servum intro mittit, ut σπάθην afferat (313 sqq).

Quamquam hic manere me erus sese iusserat —
697 sqq. (Lyc.) Sed servum meum
Strobilum miror ubi sit, quem ego me iusseram
hic opperiri —
803 (Lyc) Nunc servum esse ubi dicam meum Strobilum
non reperio —

efficitur. Ex his locis apparet id, quod Strobilus exsequi iussus est, Lyconidis magnopere interesse. Nam de adulescentis amore Euclionis filiae agitur. A v. 815 ergo nobis proficiscendum est, si quid in Attica fabula actum sit diiudicare volumus. Quem versum Dziatzko (Mus. Rhen. 37 p. 265 adn.) delet hoc argumento: De mandato Staphylae adeundae antea non dictum esse. Hoc verum est. Sed hac de causa eum non delere licet. Neque quae Pressler dicit (p. 25) probabilia sunt „Quo versu cur Strobilus missus esset speculatum probare voluisse putaverim retractatorem, quamquam, ut quidem res erat in comoedia retractata et Lyconides et Strobilus habitabant apud Megadorum prope Euclionis domum". Hoc me non satis intellegere confiteor. Qui hoc verisimile esse contendit serio retractatorem mente captum fuisse putat. Sed aliter res se habet, si concedimus Plautum quam commemoravimus exemplaris partem omisisse, quod v. 815 latine vertens non iam meminerat. Similem lapsum Wielando accidisse demonstravit Lessing (ed. Lachm. - Maltz. 1854 vol. VIII p. 169); Wieland enim in fabula, quae inscribitur „Lady Johanna Grey" e lingua Britannica versa inopinato Guilfordum de amico Pembrockio verba facientem fingit oblitus se antecedentem partem exemplaris, qua de Pembrockio agebatur, totam omisisse. Qua mutatione actio fabulae l. c. tarde procedit.

Ad firmandam meam sententiam examinemus argumenta Menandri fabularum. In Samia[1]) Demeas et Niceratus Athenienses vicini sunt, alter dives (cf. Megadorus), alter pauper (cf. Euclio). Ille cum filio adoptivo Moschione (cf.

[1]) cf. Koerte p. XXXI, cuius verbis utor.

Lyconidem) et concubina Chryside Samia vivit (in Aul. Eunomia apud fratrem habitat), hic cum uxore et Plangone filia (in Aul. Euclio cum ancilla et filia vivit). Moschio Plangonem vicinam amat, sed patri amorem non confessus est (scil. ut fabula agi posset cf. Aul.: Lyconides Euclionis vicini filiam amat, sed avunculo patri amorem non confessus est). Plango ex eo gravida facta (cf. Aul. 28, 794 sq.) nuper (in Aul. dum fabula agitur virgo parit) clam patre (cf. Aul. 796) filium peperit. Eo ipso die, quo fabula agitur, Demeas et Niceratus pacti sunt, ut Moschio Plangonem in matrimonium duceret, Moschio contra opinionem patris matrimonium libenter accipit (cf. Sam. 119 sqq., Aul. 793)[1]), nuptiae festinantur (cf. Aul. 363). Demeas furore incensus Chrysidem aedibus expellit (154—183). Iam prodit Niceratus pauper cum hostia exili nuptiis destinata (184—189 cf. Aul. 385 sqq.), Niceratus flentem Chrysidem conspicatus miseratur (190 sqq.). Post v. 201 satis multos versus interiisse dolendum est. Haec fere in parte deperdita acta esse videntur: Niceratum e Chrysidis verbis coegisse ipsius filiam puerum, quem Chrysis secum habet (223), peperisse et furore incensum in aedes suas cucurrisse (cf. Aul. 388 sqq.), ut ex uxore et filia quaereret, quomodo res se haberent. Sed illae a Chryside nihil concedere iussae (213 sq.) tacuerunt, quo Niceratus summa ira inflammatus ex aedibus contendit (vid. 202 sqq., cf. Aul. 394 sq., 406 sqq.)[2]), ut Chrysidi puerum adimeret (215 sqq.) Demeam interea in aedibus fortasse a filio comperisse oportet se Chrysidi iniuriam fecisse et in scaenam prodiisse (cf. Aul. 475 sqq.: Megadorus prodit cum amicis de nuptiis collocutus), ut cum ea in gratiam rediret, nam 216 sqq. eam defendit. Sed Demeae contingit, ut Nicerati quamvis irati saevitiam sedaret affirmanti Moschionem puell-

[1]) In Aul. Megadorus antea Euclionis filiam uxorem ducere constituit, in Sam. Demeas suspicatus est Moschionem cum Chryside concubuisse (52 sqq.).

[2]) Apollo invocatur Sam. 222 et 225, Aul. 394

am non deserturum esse v. 241 (cf. Aul. III 6); infantem Plangonis a Iove procreatum esse fingit (242—270). V. 270 Niceratus Demeam in aedes eius sequitur, ubi cena nuptialis parata est (328 sq. cf. Aul. 569—571).
Iam novus actus incipit v. 271 ut in Aululariae exemplo postquam senes in Megadori aedes abierunt.[1]) Insequente scaena (271 sqq.) Moschio et Parmeno (296 sqq.) prodeunt, in Aulularia Lyconides et Strobilus, ut iudico. Nescit, quid sibi in angustiis faciendum sit adulescens, postquam a servo comperit Megadorum Euclionis filiam uxorem ducere velle. Strobilus in Euclionis aedes missus est, ut Staphylam adiret; in Samia adulescens taetra patris suspicione impulsus Parmenonem servum[2]) in patris aedes mittit, ut sibi vestem et gladium afferat. Etiam Peric. 77 sqq. huic Aululariae exemplaris loco similes esse iam diximus: Hic quoque servus erum adulescentem in re amatoria iuvat.

In Aululariae exemplari Lyconides ipse matrem suam adiit; cum matre enim ex avunculi domo 682 redit. Servus ab abeunte ero Staphylam adire et tum ante aedes exspectare iussus erat. Postquam uterque abiit, Euclionem e Megadori domo rediisse censeo verba facientem similia iis, quae nunc apud Plautum v. 612 sq. leguntur: Nunc lavabo e. q. s., qui versus quo apud Plautum leguntur loco non feliciter causam abeundi indicant. Strobilus servus inde exiturus ei occurrit. Iam Euclio suspicatur servum aulam sibi rapere voluisse. Ex Euclionis ergo aedibus, non e Fidei fano Strobilus v. 628 a sene eiectus est, qui statim furem quem putat iocose scrutatur. Neque huic scaenae Atticae Plauti sales deesse videntur[3]).

[1]) cf. p. 65.

[2]) Idem Parmeno in priore fabulae parte scil. a Demea ero maiore missus in foro obsonavit, unde v. 66 redit cf. Aul. 264, 280 sqq. Demeas ergo quamquam dives est eodem quo Moschio filius adoptivus servo utitur.

[3]) Iocose quae 645 sqq. sequuntur 633—644 praesumuntur. Haec praecipue Plautina esse mihi videntur: 633 fur-trifur; 635: quod tibi abstuleras; 641: ostende etiam tertiam. „Larvas“ (642) Romanae religionis esse constat (cf. Roscher, „Ausf. Lexikon der griechischen und römischen Mythol.“ vol. II col. 1901 sq.); cum surrupui (634) cf. 645 sqq.; cum „abstuli“ (635) cf. 648; cum „illud quod“ (635), „pone hoc“ (638), „quidquid est“ (639) cf. 652—654; cum „ostende huc manus“ (640) cf. 649, cum „Larvae ..... senem“ (642) cf. 631. Omnibus his verbosis versibus argumentum non procedit. Alterum, quem Euclio 655—659 cum Strobilo intus fuisse suspicatur, facile aliquis Staphylam fuisse putet. Sed Euclio sane scit Staphylam in aedibus esse. Quid ancilla „intus turbet“, quo abire possit (656), non intellegitur. Qua denique via ille „alter“ effugere possit, cum Euclio ante portam stet, nescio. Cur Euclio non priore loco e servo quaesivit, quis ille sit, si quem secum eum habuisse suspicatur? Claudicantes v. 655—659 sequuntur. A Plauto excogitati esse videntur; quamquam causa in Romana fabula mutata non male inventa est (cf. 106 sqq.). Euclio iam antequam servum exeuntem vidit in aedes abire voluit in exemplari, ut sacra faceret. Altera causa abeundi supervacanea est; neque enim senem servo cur intro eat dicere oportet.

Si concesseris Euclionem postquam servum e domo sua venientem vidit iure suspicari eum aurum sibi rapere voluisse, facile ex iis, quae supra diximus, cognoscetur, quo Plautus adductus sit, ut Euclionem iam inde a v. 449 aulam secum ferentem faceret: Quia senem primum cum Megadoro collocutum (usque ad v. 579) aulam Fidei fano abdere voluit (576 sqq.), sententiis v. 569—571 ex exemplo sumptis abusus ad causam Euclionis consilii inveniendam (572 sqq.). Plautus autem (post v. 578) Euclionem non in aedes suas ad aulam petendam abeuntem (cf. 580) eamque efferentem facere potuit; neque enim quae dum intus erat in scaena agerentur facile excogitari poterant. Quare necesse erat senem antea aulam efferre, quod v. 444 sqq. fit. Interroganti, cur Plautus Lyconidem non una cum servo, ut in exemplari, sed servum solum prodeuntem fecerit 587, respondeo: Quod non potuit. Nam postquam Euclio aurum Fidei fano abdidit, Plauto id maxime agendum erat, ut Strobilum aurum invenientem induceret (608 sqq.). Cui scaenae Lyconidem interesse non licuit — aut tota pars fabulae insequens ut supervacanea omittenda erat, cum Lyconides non concessisset servum aulam

furari (cf. 829). Praeterea versibus 586 (Euclio in fanum abit) et 608 (inde redit) non commode dialogus multorum versuum de Lyconidis re amatoria interponi potuit neque Lyconides Plautinus servum in Euclionis aedes mittere potuit, id quod adulescens si cum servo prodiisset facere debebat[1]), sed Romanus poeta res ita flectere debebat (605—607), ut Euclione e fano egresso (608 sqq.) servus eo abiret (616 sqq.) et senex e domo sua, quo 615 abiit, reversus (624 sqq.) eum e fano eicere posset. His positis facile intellegitur Plautum paene coactum ea, quae in exemplari dialogo eri et servi agebantur, in servi soliloquium contraxisse[2]). Quo igitur alio verbo uti potuit servus nisi se a Lyconide „huc missum esse" (605)?

Complectemur disputationis summam: E nullo huius scaenae loco efficitur Lyconidis servum non eundem esse qui Megadoro in priore fabulae parte servit. Omnia Plauti esse vidimus, qui non feliciter exemplum mutavit. Re vera Aulularae haec scaena tam male cum antecedente coniuncta est, ut comoedia tamquam in duas partes dividatur[3]).

Lyconidem cum matre apud Megadorum habitare e v. 727 quoque apparet (Lyc. e Megadori domo exiens):

Quinam homo hic ante aedes nostras eiulans conqueritur maerens?

Quod Lyconidem dicere potuisse, etsi non in avunculi,

[1]) Nam quivis intellegit Lyconidem, si cum servo de re amatoria collocuturus prodiisset et antequam Euclio e Fidei fano egrederetur ad matrem abiisset, servum non opportune sine ullo mandato in scaena relinquere potuisse.

[2]) Hanc scaenam 21 versuum componentis Plauti animo obversata esse videntur Libani verba Asin. 249—266, qui ut Strobilus de servi officiis verba facit (As. 251, 253—257 i. e. 6 versus cf. cum Aul. 587—602 i. e. 16 versus) et ero ut Strobilus aurum comparaturus est rapiendo (cf. As. 258 [As. 249—250 et 252 non exempli esse sentio] cum Aul. 605 sqq.). Cum 259 sqq. cf. Euclionis verba Aul. 624—627, quorum exemplum As. locus citatus esse mihi videtur.

[3]) cf. Wagner p. 26 „tota enim fabuli quasi in duas partes dividitur"; Tartara p. 199 „in altera eademque mutilata Aululariae parte"; ib. p. 204 „namque Aulularia bifariam quodam modo dividitur".

aedibus habitaret, contendit Tartara l. c. p. 198 argumentis usus Ter. Ad. 910 (Demeas, qui non in Micionis fratris aedibus scaenicis habitat):

Traduce et matrem et familiam omnem ad nos.

Tartaram sequitur Pressler (p. 10), vix recte; „ad nos" idem est quod „ad me et fratrem meum"[1]). Sed „aedes nostrae" nemo nisi ii dicere possunt, qui in aedibus ipsis habitant, vel domini vel servi (cf. Aul. 102). Neque cum Tartara (p. 199) et Presslero (p. 11) ex 777 sq. (Lyc.): Si me novisti minus genere quo sim natus: hic mihist Megadorus avonculus cogitur Euclionem Lyconidem, quippe qui extra scaenam habitet, non novisse. Nam haec sententia in sponsione usurpari solet cf. Aul. 216 (Meg.).

Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum?

Neque duos homines, quorum alter alterum non novit, sic colloqui incipere posse puto, ut Euclio et Lyconides 731 sqq. Sed ut Euclio filiae compressorem non noverit: num ex hoc argumento cogi potest senem et adulescentem vicinos non esse, praesertim cum in fabula versemur, quae ut spectatores rēs noscant agitur? Neque Euclionis filia ipsa compressorem novit neque pater filiam esse compressam (v. 30). Quare ergo senem adulescentem, quocum ei negotium adhuc non fuit, novisse necesse est? — Similiter de v. 619 (Strob.). Atque hic pater est ut ego opinor huius erus quam amat[2]) — et 728 (Lyc.) Atque hicquidem Euclio est ut ego opinor. iudicandum est. Cum Presslero (p. 24) facere non possum, qui his locis nisus contendit neque servum neque erum minorem Euclionem novisse. Nonne nos quoque, si hominem nobis notum eminus videmus, sed quis sit non statim discernere possumus, sic dicimus „Ich glaube, das ist N.

[1]) Nos quoque si in alienis aedibus cum altero sumus, tertium quendam sic hortari possumus „Komm zu uns", sed non „komm in unser Haus".

[2]) De hoc versu a Plauto addito iam egimus (cf. p. 55 adn. 3.) De exemplari ex eo nihil cogi potest. Hui aequo similiorem esse v. 728 videmus, qui non eleganter coniunctione „atque" ad antecedentem adiunctus est.

N."? Perlegas quaeso 728 sq. (Lyc.).

Oppido ego interii, palamst res.

Scit peperisse iam ut ego opinor filiam suam e. q. s. Num haec adulescentem dicere contendemus, qui Euclionem non novit?

Porro Pressler (p. 9) Lyconidem et Eunomiam in Plauti fabula non apud Megadorum habitavisse his Ussingii verbis (Uss. ed. Pl. vol. II p. 274) firmari putat „Quod ut in tenui re familiari fieri potuit, ita divitem hominem non est veri simile tam paucos servos habuisse, ut idem avunculi atriensis et nepotis pedisequus esset, nec Lyconidis servus alium quam Lyconidem erum agnoscit aut ab alio libertatem sperat: immo duas personas esse apparet" [1]). Iam aliter iudicandum esse apparuit, cum Samiae argumentum novimus [2]). Hoc ex Epitrepontium quoque argumento liquet: Charisius Chaerestrati divitis (cf. 161 sqq.) filius in iisdem quibus pater aedibus habitat [3]); sed pater et filius eodem servo utuntur cf. Ep. 512 sqq.

Megadorum et Lyconidem unum tantum servum habere hac deliberatione firmatur: Cur, si uterque proprium servum habet, ambo servi non in aliqua scaena simul prodeunt, ut de communi re colloquantur? Quod ut facerent occasio non deerat. Nam duos servos saepe simul in comoedia prodire notum est [4]). Ex eo, quod in Aulularia nusquam Megadori et Strobili servi simul prodeunt, unam personam eri maioris et minoris servi officio fungi concludo. Errare mihi videtur Tartara dicens „Cum Pythodicus in sola priore parte, Strobilus in sola altera exeat, histrionum gregibus pronum fuit uni eidemque homini utriusque servi partes demandare" [5]). Nam iam et in Plauti et

[1]) Ussingio Amatucci quoque (l. c. p. 7) adstipulatur.

[2]) cf. p. 72 adn. 2.

[3]) cf. Koerte p. XXVI.

[4]) cf. Men. Her. 1 sqq., Ter. Phorm. I 2; Hec. III 4; Ad. V 7. Plaut. As. II 2, II 4, III 2, III 3; Most. I 1; Pers. I 1, II 5, IV 2, IV 4, IV 5, IV 6, V 1, V 2; Poen. IV 2; Stich. V 2, V 4, V 5.

[5]) Similem coniecturam iam Koepke teste Wagnero (p. 25) protulit Plautum uno nomine duas personas significavisse ratus „quo facilius et commodius duae partes ab uno eodemque histrione agi possent", quam iam Wagner refutavit.

Terentii fabulis persaepe plus tribus personis [1]) simul prodiisse notum est [2]), ita ut non causam esse intellegamus, cur, si Megadorus et Lyconides duobus servis uterentur, non duo quoque histriones eorum partes agerent. Vel putamus histrionum greges legem secutos esse, quam iam Plautus neglexit?

Lyconidem in avunculi aedibus habitare, ita ut vicinus Euclionis sit, his exemplis affirmari censeo. In Herois argumento 6 sq. legimus

γείτων δέ τις
προηδικήκει μετὰ βίας τὴν μείρακα.

v. 10 sqq.: καταφανῶν δὲ γενομένων
εὗρεν μὲν ὁ γέρων τοὺς ἑαυτοῦ γνωρίσας,
ὁ δ' ἠδικηκὼς ἔλαβε τὴν κόρην θέλων [3]).

E Georgi Menandri versibus, qui servati sunt, haec enucleari possunt [4]): Myrrina virgo Atheniensis a Cleaeneto adulescente compressa (86 sqq.) liberos geminos, filium Gorgiam (fr. 1 et 3) et filiam enixa est. Qui liberi a matre in angustiis educati (fr. 2) cum adolevissent, Gorgias ruri apud patrem ignotum opus fecit, eumque e vulnere graviter laborantem tam sedulo fovit, ut senex gratiam relaturus eius sororem in matrimonium ducere constitueret (46—74). At puella a vicini divitis filio gravida reddita est [5]). In Epitrepontibus Charisius Chae-

[1]) De tribus enim personis, quae inde a Sophocle (cf. Arist. de arte poet. 4) agentium partes in tragoedia suscipere solent, Tartaram cogitavisse conicio.

[2]) cf. Epid. V 1, Kiessl.-Heinze ad Hor. de arte poet. v. 193.

[3]) In Aul. compressor compressam uxorem ducit et aulam auri plenam, ut decet divitem adulescentem, dotem accipit cf. arg. II 9. Aula inventa idem fere valet quod ἀναγνώρισις divitum parentum.

[4]) cf. Koe. p. XLV.

[5]) Rem ita cessisse, ut agnitis liberis a Cleaeneto adulescens puellam a patre dotatam, cum amaret, uxorem duceret contra patris voluntatem, qui ut sororem e noverca superducta genitam duceret optabat, verisimillimum est; cf. argumentum novae Menandri fabulae (p. 12).

restrati filius adulescens dives Tauropoliis e b r i u s [1]) P a m p h i l a m Smicrinis v i c i n i f i l i a m v i t i a v i t et tum nescius nesciam u x o r e m d u x i t. In Samia Moschio D e m e a e d i v i t i s f i l i u s a d o p t i v u s Plangonem f i l i a m Niceráti p a u p e r i s v i c i n i g r a v i d a m reddidit et, cum amaret, matrimonium oblatum libenter accepit (119 sqq.). In Periciromene Glycera Polemonis concubina a Moschione fratre nescio v i c i n o amatur (cf. 27). In Menandri Citharista Moschio adulescens Phaniae v i c i n i (cf. Cith. 101) filiam uxorem ducere vult[2]). E Phasmatis argumento hoc addam[3]): Phasma nomen fabulae Menandri est, in qua noverca superducta adulescenti v i r g i n e m, quam e x v i c i n o q u o d a m conceperat . . . . secum habebat. In Plocio Statii Caecilii, cuius argumentum e Plocio Menandrea sumptum est, similes res sunt cf. Gell. II 23, ubi Graeci et Romani fabulae inter se comparantur. Hunc imprimis locum respicias velim (G. II 23, 15). „F i l i a h o m i n i s p a u p e r i s in pervigilio vitiata est. Ea r e s c l a m p a t r e m f u i t, et h a b e b a t u r p r o v i r g i n e. Ex eo vitio gravida mensibus exactis parturit" [4]). Puella in Plocio festo furore[5]) a v i c i n o a d u l e s c e n t e Creobylae filio ignoto c o m p r e s s a esse videtur[6]).

In Menandri ergo fabulis persaepe virginem a v i c i n o a d u l e s c e n t e compressam esse vidimus.

Ad Aulularíam redeamus. Servus postquam Euclio v. 660 in aedes suas abiit in scaena manet, cum ab ero opperiri iussus sit (cf. p. 69). Iocosa scrutatione sibi persuasisse videtur senem aliquid pretiosi in aedibus habere (661 sqq.)[7]). V. 667 e Fidei fano apud Plautum, e suis aedi-

[1]) cf. Aul. 795.

[2]) cf. Koe. p. XLVII.

[3]) cf. Koe. p. LVI.

[4]) cf. ad Aul. 798 p. 81, Men. fr. 413 Kock, Plocii Statii Caec. fr. IV (Ribb. C. R. F. [2] p. 63).

[5]) cf. Plocii Stat. Caec. fr. VI et VII (Ribb. p. 64).

[6]) cf. Ribb. l. c. p. 58—67, „Röm. Dicht." I [2] p. 129.

[7]) V. 663 sq. cum inepte causam, quae sequitur, praesumant, Plauti esse iudico; v. 663 sq. sententiae verbose amplificantur, quae v. 665 redeunt.

bus in exemplari, c u m a u l a redit. Plauti esse censeo v. 667—672:

> F i d e censebam maxumam multo f i d e m
> esse: ea sublevit os mihi paenissume.
> Ni subvenisset c o r v o s [1]), periissem miser.
> Nimis hercle ego illum c o r v o m ad me veniat velim,
> qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
> dicam; n a m quod edit tam d u i m quam p e r d u i m.

His nugis ad ea transit, quae in exemplo invenit. Silvani ergo luco extra murum Athenarum senex illic aurum abdidit. Hoc posito intellegitur, qui factum sit, ut Euclio v. 615 dicat „in tuo l u c o modost situm". Quod cum correctori vel rubricatori alicui repugnare videretur[2]) cum sc. III 6 (inde a v. 572), IV 1, IV 2 tum v. 617 (in fano Fide) paucis verbis intermissis sequenti, in margine adscripsit „fano" vel „et fano", quod in codices metro repugnante irrepsit. Versus quoque 676:

> Certumst Silvano potius credam quam Fide

cum de „Fide" agat Plauto debetur. Iam cum verbis brevibus et concinnis exemplaris, 661 sq., 665 sq. conferas velim 587—607 Plautinos[3]), cum Attici versibus 673—675 Romanos 608—615 verbosos. Hic servus breviter dicit, quid facturus sit 677—679, illic longas ambages praemittit, priusquam abit 616—623. Servus praecurrere et aliquam arborem inscendere constituit, ut observare possit, ubi Euclio aulam abdat, quamquam

[1]) De hac causa cf. p. 57.

[2]) Nos quoque in hac discrepantia haesimus Tamen talia Plauto digna esse iudico. Idem v. 609 incerte dicit „in latebris situmst". E sentenia „Silvani lucus" certe prolata incertae amplificationes de „Fidei fano" vel „luco" vel „latebris" ortae sunt. Plautus ne certo quidem verbo abeundi his locis utitur ut Graecus poeta cf. infr p. 82 adn. 4. ad v. 709 et Aul. fr. III.

[3]) Ad exemplum v. 666 Plautus 606 (servus in ara considit) excogitavisse videtur. Hoc posito melius intellegitur servum 606 sq. dicere se „sine omni suspicione" considere velle et „arbitrari" posse, „quid agant". Nam v. 666 necesse est servum cavere, ne suspicionem senis augeat.

Lyconides se hic[1]) manere iusserit. Hunc locum ex exemplari desumptum esse supra Menandri locis citatis ostendimus. Cur Strobilus non antequam in Fidei fanum abit (623) dicit se aulam petere, quamquam erus se hic manere iusserit, v. 605? Iterum nos respondere oportet: Quod illam partem, cuius argumentum recto talo stare Plauti nihil interérat[2]), ipse libere finxit. Non casu fit me iudice, ut v. 680 (Strob.: ... erus .... iusserat), 697 (Lyc.: ...... ego iusseram) 815 (Lyc.: ...... iusseram ipse) plusquamperfectum legatur; nam Plautus in exemplari quoque idem tempus invenisse videtur cf. Men. Heros argum. v. 7

γείτων δέ τις | προηδικήκει μ. β. τ. μ.

Lyconidem igitur aliquid fecisse necesse est, postquam servum Staphylam adire et deinde se opperiri iussit, ut secum quid effecisset communicaret, scil. ipsum ad matrem abiisse[3]). Hac quoque re confirmari censeo Lyconidem cum servo iam ante v. 682 in exemplo prodiisse. Plautus vero ubi Graecam fabulam non sequitur, servum de iis, quae ab ero exsequi iussus est, in tempore perfecto dicentem facit v. 605 (huc misit me), scil. quod erus apud Plautum in scaena antea non erat.

V. 682 Lyconides cum matre e Megadori aedibus prodit de amore verba faciens. Ante aedes, ut in comoedia fieri solet (cf. 120 sqq.), a matre petit, ut cum fratre communicet se ipsum Euclionis filiam compressisse (682—685), id quod etiam Euclione praesente 794 sq. et 796 sq. confitetur. Mater se si ita res se habeant ab eo impetraturam esse pollicetur, ut filio virginem permittat (686—689). Eunomia enim ipsa sc. II 1 Megadoro praesente eius consilium probavit, cum stuprum virginis nondum novisset. Sed matrem illius colloquii ante spectatores, qui audiverunt, hic meminisse non necesse est.

---

[1]) i. e. ante aedes cf. Peric. 109.

[2]) Recte iam Horatius (ars poet. 170 sqq.) de Plauti arte iudicavit.

[3]) Huic facto Herois l. c. respondet hoc v. 5:

θεράπων δέ τις | ἐνέπεσεν εἰς ἔρωτα τῆς νεανίδος.

Iam parturientis filiae Euclionis clamor intus auditur (691 sq.). Cum hoc loco cf. Ter. Andr. 473 (virgo intus):

Iuno Lucina, fer opem, serva me, uterum dolet.

Ad. 486 sq. (virgo intus): Me miseram, differor doloribus.

Iuno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.

De tempore praegnationis saepius in Menandri fabulis actum esse ex his locis apparet: Epitr. 575 sqq.

(Ones. serv.) τοιγαροῦν
τέρασιν ὅμοια πεντάμηνα παιδία
ἐκτρέφομεν [1]).

Cereris vigiliae (795) in exemplari Ταυροπόλια fuisse possunt cf. Epitr. 234, 255, 260, 300, 442, 579. Koerte, cum Ταυροπόλος Artemis sit, de Thesmophoriis cogitare mavult[2]). Iunonem Lucinam Εἰλείθυιαν esse testatur Donatus ad Andr. l. c.[3]). In permultis Menandri fabulis de virginibus compressis agi constat cf. Heroem, Epitrepontes, Samiam, Georgum, Cistellariam Plauti Menandream (v. 89 sqq., 156 sqq., 162 sq.).

Certant adhuc viri docti de nomine Euclionis filiae. In scaenae inscriptione haec inveniuntur: FEDRIA VIRGO cod. B, PHEDRIA VIRGO cod. E J, om. spatio relicto D. In nullo servatae partis fabulae versu nomen virginis occurrit. Scaenarum inscriptiones a librariis posteris temporibus ex nominum indiciis, quae in versibus sunt, additas esse constat[4]). Cum FEDRIA vel PHEDRIA, quod „Phaedria" scribi solet, non sit virginis, sed viri nomen[5]), Goetz (ed. mai. praef. p. VIII) Ussingium scutus, „Phaedra" coniecit[6]), Leo „Phaedrium". Neutram coniecturam probandam esse censeo. Verbum FEDRIA cod. B fortasse ortum est e male intellecto initio v. 691 PERIIMEA, cum stultissimas inscriptiones scaenarum in Plauti libris inveniri notum sit[7]). Equidem

---

[1]) cf. Geffcken p. 4.

[2]) Dionysia memorantur Cist. 89, Pseud. 59, Ter. Heaut. 162.

[3]) cf. et. Nencini „De Terentio eiusque fontibus" p. 39 sq.

[4]) cf. Linds, Burs. Jahresber. l. c. p 138.

[5]) cf. K. Schmidt (Mus. Rhen. 37 p. 199), Gatzert (p. 25, 52, 58).

[6]) Hoc nomen Pressler quoque (p. 20) probat.

[7]) cf. inscr. Aul. II 4 (Goetz ed. mai.), Linds. l. c. p. 138.

nullum virgini nomen a Plauto datum esse puto[1]). Eunomia Euclionis filiae voce audita filium secum ad fratrem ire iubet 694 sq. Qui postquam servum suum frustra circumspexit intro sequitur (700). Insequente scaena Strobilus servus cum aula rapta gaudio exsultans prodit. Se cum Euclio aula defossa abiisset de arbore descendisse[2]) et aulam effodisse confitetur. Inde (= quo facto)[3]) ex illo loco se senem iterum revertentem vidisse et celeriter deverticulo effugisse. Aula ergo defossa erat in exemplo (709), senemque cotidie „denos scrobes effodisse" e fr. 3. Aul. apparet. Hoc Menandreum est. Nam in huius fabulis saepius de thesauris defossis agitur cf. Dysc. fr. 128 Kock v. 16:

πλοῦτος . . . . . . ὃν σὺ κατορύξας ἔχεις[4]).

Ubi autem servus senem advenientem conspicit (712), celeriter aurum „domum", scil. in aedes in scaena positas (cf Aul. 118 sq., 176, 181) conditurus est. Ex hoc quoque efficitur Strobilum cum Lyconide in Megadori aedibus habitare. Quare enim Strobilus hic in scaenam prodit nisi ut aurum in domo scaenica abdat? Minime autem verisimile est Strobilum, si Lyconides erus extra scaenam habitaret, hic prod-

[1]) cf. et. Spengel l. c. p. 267 de Terentii locis citatis: Si persona post scaenam loquitur, optimi libri nomen eius in personarum indice non indicant, recentiores fingunt nomen aliquod.

[2]) Haereo in v. 705—707, quibus copiose 678 sq. repetuntur. Illic iam servus se praecurrere et aliquam in arborem inscendere velle dixit. Cum verbis „dudum hinc abii multo illo adveni prior" (705) cf. „illuc praecurram" (678), cum v. 706 „multoque prius me conlocavi in arborem" cf. 678 „inscendam aliquam in arborem". Nonne verbum „inscendere" melius quadrat quam „se collocare"? Nonne 706 pronomen „aliquam' desideramus? Porro verbum „observare" 679 verbo „exspectare" 707 praeferendum est, quod viri docti iam emendare conati sunt. Neque verisimile est servum necessario plura verba facere, cum iam senex in scaenam currat.

[3]) Leo et Lindsay recte cum libris v. 709 „inde ex eo loco" (scil. quo aurum abditum erat, coniungendum cum „video" 710) scribunt.

[4]) In Fidei vero fano a Plauto invento Euclio aulam „abstrudit" (583, 617, 663, 707, sed in v. 673 et 679 non offendo) vel Fidei fano (fidei) „concreduit" (581, 585, 615); „istic est aurum v. 608; „in latebris situmst" v. 609; „in Fidei luco situmst" v. 615.

ire, Euclione autem conspecto aulam domum ablaturum retrorsum contendere. Quae res Presslero quoque scrupulum movit. Sed difficultatem effugere studet his dictis (p. 9 adn. 2) „Cui rei non ita multum tribuo, quoniam Strobilum, etiamsi non apud Megadorum (in ipsa scaena) habitet, sed apud Eunomiam vel Lyconidem (extra scaenam), tamen necesse est prodire in scaenam cum aula surrepta, ut certiores faciat spectatores"[1]). At si Lyconides non apud Megadorum habitat non necesse esse censeo servum hic spectatores certiores facere. Nam 678 sq. servus dixit se observare velle, ubi Euclio aurum abderet. Spectatores statim sensissent Euclioni aulam raptam esse, si v. 701—712 non intermissis post v. 700 Euclio lamentans e luco Silvani accurreret, praesertim cum 715 sq. ipse dicat:

obsecro vos ego, mi auxilio
oro obtestor, sitis et hominem demonstretis quis eam abstulerit.

Hoc probato satis erat servum v. 808 demum cum aula prodire; sed ibi aulam non iam secum fert cf. 824. Non autem putare possumus servum statim postquam rapuit aurum domum, quae in scaena non est, abstulisse: Ante v. 808 eum iam cum aula rapta prodiisse oportet. Quod fit v. 701 sqq. maximam partem Atticis. Euclio clamitans in scaenam contendit, ut eum quaerat, qui aurum rapuerit (713—726). Lyconides cum senis clamorem in Megadori aedibus, in quas v. 700 abiit, audiat, exit (727). Iterum scaena iocorum plena sequitur (731—807). Lyconides Euclionem propterea clamare opinatur, quod filiam compressam esse compererit. Lyconides confitetur se peccavisse (738). Euclio vero illum se aulam (χοιτίδα vel κίστην vel κοίτην)[2]) repperisse confiteri putat, dum (761 sqq.) comperit, quid

[1]) Pressler p. 25 contendit „et Lyconidem et Strobilum habitare apud Megadorum prope Euclionis domum in retractata fabula". Sed tota haec scaena non facile retractatori tribui potest. Iam quivis intellegit, quam futilia ea sint, quae Pressler de retractatione dicit.

[2]) χοιτίς memoratur Men. Epitr. 164 (Peric. 333, 337), κίστη vel κοίτη Dyscol. fr. 129 Kock.

Lyconides in animo habeat. Is cum avunculus se Euclioni repudium renuntiare iusserit filiam uxorem sibi poscit, ut leges iubeant (793)[1]. Euclio ipse adhuc non sensit filiam suam compressam esse (796 sqq.). Est ut Smicrines παχύδερμος (cf. Epitr. 574 sqq.); sed nutrix omnia scit (806 sq. cf. 274 sqq.) ut Sophrona Epitr. 577 sqq. (Ones.) ἡ γραῦς δέ γε

οἶδ', ὡς ἐγᾦμαι e. q. s.

Lyconides postquam Euclio abiit Strobilum manet (804 sq.). Hic iam 808 e Megadori aedibus accurrit magna voce felicitatem suam praedicans. Lyconides initio voce tantum servi audita (811) nescit, qua ex domo scaenica servus venerit,[2] eum v. 803—807 ad spectatores versus diceret. Itaque eum conicere servum interea apud Staphylam fuisse, quam adire antequam ipse ad matrem abiit iussit (cf. 815), consentaneum est. Hoc considerato v. 815 suo loco stat. Strobilus deliberat, utrum domino dicat se aurum repperisse necne. Sperat enim se liberatum iri, si aurum ei dederit (816 sq.) Lyconidi vehementius ex eo quaerenti, quid fecerit, se Euclioni aulam auri plenam r a p u i s s e confitetur. Quod iam antequam servus confessus est Lyconides suspicatus esse videtur, quippe qui ex Euclione compererit illi aurum furem abstulisse (cf. 759, 763 sqq. 769) et pollicitus sit se furem si noverit ei indicaturum neque quicquam sibi sumpturum esse (772—776). Furtum igitur (cf. 822) Strobilus fecit. Itaque Lyconidis eri est omne aurum possessori reddere. Servus cum sentiat se auro rapto ab ero libertatem non adepturum esse negare incipit se quicquam repperisse (828) neque reddere vult.

Usque ad hunc locum Plauti fabula servata est. Reliquam partem Nonii grammatici aetate nondum periisse veri-

[1]) cf. Meier-Schoem.-Lips. „Der attische Prozess" II p. 509.

[2]) Cum ratione salutandi 811 sqq. cf. Rud. 332 sqq. (Trach. in scaena): Quoia ad auris | vox mihi advolavit? (Ampelisca e fano in scaena posito egressa): Obsecro, quis hic loquitur, quem ego video? | (Tr.) Estne Ampelisca haec, quae foras e fano egreditur? (Am.) Estne hic | Trachalio e. q. s.?

simile est, cum in libris eius ex hac parte quattuor fragmenta afferantur. Prisciani temporibus eam iam deperditam fuisse demonstrari non potest, cum casu factum esse possit, ut ex deperdita parte, quae non ita magna fuisse videtur, nullum locum citaret.[1]) Qualis fuerit exitus fabulae e quinque fragmentis servatis (quattuor a Nonio, uno a Gellio) cogere possumus. Altercationis Lyconidis et Strobili de auro factae finem eum fuisse censeo, ut servus adulescentis iussu (cf. 829) aulam afferret. Quam apportari necesse est[2]) cf. arg. II 7 sq.:

Re omni inspectata compressoris servolus
id surpit: illic Euclioni rem refert.

Euclionem quoque sc. V_1 prodiisse e scaenae inscriptione, argum. II 9: Ab eo donatur[3]) auro, uxore et filio —, fr. III, IV concluditur. Senem aulam raptam a Lyconide poposcisse (cf. 774 sq.) consentaneum est. Adulescentem eam vicino reddere voluisse ex eius verbis 774 sq. apparet. Sed servum philosophantem[4]) nihil nisi mores malos Euclionem deperdere dixisse conicio cf. Epitr. 566 (Ones.):

Τοῦτον τίς ἄλλος, οὐχ ὁ τρόπος ἀπολλύει;

Quid ei opus esse auro, ἀβεβαίῳ πράγματι (cf. Men. fr. 128 Kock)? Nihil nisi aerumnas auro hominibus parari. Contra si thesaurum Lyconidi genero dedisset, non iam opus esse eum filiae mundum nuptialem emere cf. fr. 1 (Non. p. 238):

Pro illis corcotiis, strophiis, sumptu uxorio

scil. nihil nisi aurum filiae ei dandum esse. His servi precibus senex resistere non potuit.[5]) Hoc ex fragmento altero (Gell.

[1]) Ritschl op. phil. II 240 et 319.

[2]) Si Strobilus extra scaenam habitaret, postquam 701 e Silvani luco advenit 712 illuc domum abiret, 808 inde sine aula accurreret, in deperdita parte iterum eo abiret, ut aulam afferret. Hoc non probabile est.

[3]) scil. Lyconides.

[4]) cf. Epitr. 538 sqq. Onesimi verba et Menandri fragmenti novi v. 70 sqq., ubi Davus servus sagaciter cum Smicrine per multos versus disputat.

[5]) In Epitrepontibus quoque animus senis quamvis vehementis (cf. Ep. 540) a servo flectitur (v. 589 sqq.).

VI, 9, 6) apparet, quod Lyconidi tribuendum esse videtur

Ut admemordit hominem —,

quod vertere possumus „Wie hat er den Alten drangekriegt!" Euclio iam narravisse videtur, quam aerumnosam vitam post aurum repertum egisset cf. fr. III (Non p. 225):

Ego ecfodiebam in dies denos scrobes —

scil. ut aurum in alium locum abderet. E fr. IV (Non. p. 98): Nec noctu nec diu quietus umquam eram: nunc dormiam — apparet Euclionem Lyconidi aulam reddidisse (vid. arg. II 9). In fine fabulae Megadorum quoque prodiisse conicio Strobilum libertate donaturum, quam servus iam 823 a Lyconide petivit cf. Epitr: Ut Abrotonon psaltria (v. 331) eo, quod Charisium adulescentem in uxore reperienda adiuvat, ita Onesimus quoque (cf. 340 sqq.) libertatem sibi comparare studet, quod ei contingit: 512 sqq. a Chaerestrato liberatur. Ut in Epitrepontibus servo adiuvante omnia prospere eveniunt, Smicrines genero et dotem et filiam recognitione facta (581 sqq.) permittit, ita in Aulularia Lyconides ab Euclione „auro, uxore et filio" donatur. Servus vero confidens libertate nondum contentus dicit (fr. V, Non. p. 120). Qui mi olera cruda ponunt, hallec duint. His e fragmentis et arg. II apparet Euclionem exspectato celerius animum suum commutavisse. Hoc Menandreum est.[1]) Sed quaerendum est fueritne omnino Euclio natura avarus. Hoc negandum esse puto; neque enim talem, postquam genero aurum servi precibus commotus voluntate donavit,[2]) credi-

---

[1]) cf. Geffcken p. 5, Sam. 241 sqq., supra p. 53.

[2]) Nam iure aurum Euclionis est, non Lyconidis, cuius servus furtum fecit in loco publico (766), non inventum. Ad hanc quaestionem disceptandam nihil interest quaerere, cuius iure inveniendi, quod neque apud Graecos neque Romanos fuit, aurum vel pars auri sit. Itaque non iure coactus Euclio 767 aula reddita se Lyconidi dimidiam partem dare velle pollicetur, quod e v. 768 quoque apparet:

Tam etsi fur mihi es, molestus non ero.

Immo erum servi, qui aurum rapuit, in ius vocare potest. Vel Gripus piscator in Rudente vidulum, quem in mari communi (Rud. 975, 977,

bile est dicere se nunc dormire posse (fr. IV), cum ex quo tempore aurum invenit nec nocte nec die quietus esset. Megadorus vicinus de Euclione adhuc paupere sic iudicat (206):

Neque illo quisquamst alter hodie ex paupertate parcior.

215 sq.: Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia
semper sum arbitratus et nunc arbitror.

Eunomia eum „hominem haud malum mecastor" (172) appellat. Quae cum ita sint mores Euclionis non cum illius comparari possunt, quem Horatius sat. I 1, 84 sq. ita describit: „omnes, vicini oderunt, noti, pueri atque puellae." Hic avaritia et lucro „saccos undique congestos" (l. c. v. 70) sibi paravit. Euclionis mores natura boni aula demum reperta mutati sunt (cf. 67 sqq.) Aurum inventum eum dormire non sinit cf. Plut. Περὶ δεισιδαιμονίας I 1: ὑπολαμβάνει τις τὸν πλοῦτον ἀγαθὸν εἶναι μέγιστον. τοῦτο δὲ ψεῦδος ἰὸν ἔχει, νέμεται τὴν ψυχήν, ἐξίστησιν, οὐκ ἐᾷ καθεύδειν, οἴστρων ἐμπίμπλησιν, ὠθεῖ κατὰ πετρῶν, ἄγχει, τὴν παρρησίαν ἀφαιρεῖται[1]). Euclio ut Smicrines Epitrepontium concitatus est; iam ut Niceratus Samiae appellari potest (Sam. 205)

τραχὺς ἄνθρωπος, σκατοφάγος, αὐθέκαστος τῷ τρόπῳ.

Similis morum mutatio cum Polemone milite in Periciromene evenit, qui furore incensus Glyceram infidelem ut putat coma detonsa dehonestat (44 sqq. Ignorationis verba):

ἐγὼ γὰρ ἦγον οὐ φύσει
τοιοῦτον ὄντα τοῦτον, ἀρχὴν δ' ἵνα λάβῃ
μηνύσεως τὰ λοιπά, τούς θ' αὑτῶν ποτε
εὕροιεν.

In Aulularia Lar ideo avum Euclionis aulam abdentem, ipsum invenientem fecit, ut filia eius pia (prol. v. 23 sqq.) rite adulescenti diviti collocaretur. Sed avaritia a patribus accepta non laborat.[2])

---

981) invenit, non rapuit, Palaestrae proprium (Rud. 1130) reddere iure cogitur, dummodo haec eum suum esse demonstrare possit (Rud. 1130 sqq.), quod Gripus quoque quamvis invitus concedit (Rud. 1184 sqq., sc. IV 7). Gripus a Daemone ero nihil accipit (v. 1255) cf. Aul. 823—825.

[1]) cf. Hagedorni nostri carmen „Johann der muntere Seifensieder".

[2]) Vel hac de causa Aul. prol. v. 9—12 non exemplaris esse iudico.

Romani fabula nostro sermone „Charakterstück" appellari solet.[1]) Exemplar magis „Familienstück" nominandum esse censeo. Sane mores Euclionis magni momenti sunt, sed non maioris quam Smicrinis in Epitrepontibus. Plauti amplificationibus et permutationibus[2]) mores magis illustrantur, actio neglegitur. Nam Lyconidis res amatorias valde neglexit (604 sq.).

E fragmentis Menandreis cum Aulularia comparatis apparuit eam Menandri tam similem esse, ut vix de Menandro exemplaris anctore dubitare possimus.

Sed de Hydria cum Franckeno propterea non cogitari potest, quod illa fabula in vico remoto agi videtur (cf. fr. Men. 466 Kock). Geffcken l. c. a moribus Euclionis profectus Aululariae exemplar Δύσκολον Menandri esse coniecit. Sed per se periculosum esse e moribus personarum de exemplo iudicare, praecipue in huius poetae fabulis, monuimus.[3]) Geffcken autem ad firmandam suam coniecturam Dyscoli fragmentis interpretandis vim intulit, ut iam Pressler demonstravit. Sed nonnulla fragmenta digna sunt, de quibus disputetur.

Fr. 129 Kock: ὡς θύουσι δ' οἱ τοιχωρύχοι
κοίτας φέροντες, σταμνί', οὐχὶ τῶν θεῶν
ἕνεκ' ἀλλ' ἑαυτῶν. ὁ λιβανωτὸς εὐσεβές,
καὶ τὸ πόπανον, τοῦτ' ἔλαβεν ὁ θεὸς ἐπὶ τὸ πῦρ
ἅπαν ἐπιτεθέν, οἱ δὲ τὴν ὀσφὺν ἄκραν
καὶ τὴν χολὴν ὀστᾶ τ' ἄβρωτα τοῖς θεοῖς
ἐπιθέντες αὐτοὶ τἄλλα καταπίνουσ' ἀεί

iniuria Geffcken (p. 10) cum Aul. 364 sqq. comparavit (cf. Pressl. p. 40). Iniuria porro Geffcken (p. 11 adn. 2) Ribbeckum non sequi videtur, qui (Agroik. p. 14) verba modo citata δυσκόλῳ cuidam tribuit eos vituperanti, qui nimia sacra faciant. Talia senem Euclionis similem dicere coll. Aul. 385 sqq., Sam. 184—188 concedemus. Apte fr. 135 Kock

οὐκ ἔνεστί σοι φυγεῖν

[1]) cf. Schanz l. c. p. 74.

[2]) cf. maxime 98 sqq., 309 sqq., 371 sqq. (?), 494 sqq., 525 sqq., 537 sqq., 560 sqq., 572—627.

[3]) cf. p. 7.

οἰκειότητα, δᾶερ — cum Aul. 120 sqq. comparari potest, nisi quod hic soror et frater colloquuntur, vel fr. 130 Kock

οὐδὲ εἷς
μάγειρον ἀδικήσας ἀθῷος διέφυγεν.
ἱεροπρεπής πώς ἐστιν ἡμῶν ἡ τέχνη

cum Aul. 415 sqq. De fr. 128 Kock Geffcken (p. 14) non recte iudicare videtur:

περὶ χρημάτων λαλεῖς, ἀβεβαίου πράγματος.
εἰ μὲν γὰρ οἶσθα ταῦτα παραμενοῦντά σοι
εἰς πάντα τὸν χρόνον, φύλαττε μηδενὶ
ἄλλῳ μεταδιδούς, αὐτὸς ὢν δὲ κύριος.
εἰ μὴ δὲ σεαυτοῦ, τῆς τύχης δὲ πάντ' ἔχεις,
τί ἂν φθονοίης, ὦ πάτερ, τούτων τινί;
αὐτὴ γὰρ ἄλλῳ τυχὸν ἀναξίῳ τινὶ
παρελομένη σου πάντα προσθήσει πάλιν.
διόπερ ἔγωγέ φημι δεῖν, ὅσον χρόνον
εἶ κύριος, χρῆσθαί σε γενναίως, πάτερ,
αὐτόν, ἐπικουρεῖν πᾶσιν, εὐπόρους ποιεῖν
οὓς ἂν δύνῃ πλείστους διὰ σαυτοῦ. τοῦτο γὰρ
ἀθάνατόν ἐστι, κἂν ποτε πταίσας τύχῃς,
ἐκεῖθεν ἔσται ταὐτὸ τοῦτό σοι πάλιν.
πολλῷ δὲ κρεῖττόν ἐστιν ἐμφανὴς φίλος
ἢ πλοῦτος ἀφανής, ὃν συ κατορύξας ἔχεις.

Geffcken se Menandrum pluris aestimare dicit, quam ut tale filii sapientis exemplum in scaenam commisisse credi possit. Sed ipse sibi contradicit ratus haec a genero admodum adulescente dici (p. 15). Pressler (p. 45 sqq.) adulescentes in Menandri fabulis re vera talia loqui demonstrare conatus est argumentis usus fr. 247, 248, 283, 554, 629, aliis (p. 46). Sed nihil certi ex his fragmentis e vicinis fabulae versibus abscissis cogi potest, nisi forte incerta incertis demonstrare vel refutare volumus. Apud Menandrum saepe servos blandientes senes „πάτερ" vocare constat cf. Epitr. 14 (Syr.)

πάτερ, δὸς τὴν χάριν, ib. 79 (id.) καὶ γέγονεν οὕτως ὦ πάτερ, ib. 84 (id.) ἐπὶ τοῦτον πάτερ
αὐτὸς πάρεστιν οὑτοσί,

ib. 103 (id.) βλέφον δὲ κἀκεῖ πάτερ,
ib. 123 (id.) οὐ δὴ καλῶς ἔχει . . . .
. . . . τὴν . . τοῦδε τῆς σωτηρίας
ἐλπίδα λαβόντα Δᾶον ἀφανίσαι πάτερ.
ib. 127 (id.) ὄντ' ἐπισφαλῆ φύσει
τὸν βίον ἁπάντων τῇ προνοίᾳ δεῖ πάτερ
τηρεῖν.

Locos ergo, quibus verbum πάτερ occurrit, non prorsus filiis tribuere licet. Nihil fragmentis a Presslero citatis demonstrari ex his locis comparatis sequitur Epitr. 14 sqq. (Syr.)

πάτερ, δὸς τὴν χάριν,
μὴ καταφρονήσῃς πρὸς θεῶν. ἐν παντὶ δεῖ
καιρῷ τὸ δίκαιον ἐπικρατεῖν ἁπανταχοῦ e. q. s.

Men. fr. 283 Kock: εἰ τοὺς ἀδικηθέντας, πάτερ, φευξούμεθα,
τίσιν ἂν βοηθήσαιμεν ἄλλοις ῥᾳδίως;

Fr. 128 servi verba esse puto similiter philosophantis atque Davus in nova Menandri fabula, Onesimus in Epitrepontibus,[1]) et recte Geffcken coniecisse videtur fr. 128 ad exitum Dyscoli pertinere.[2]) In Dyscolo quoque de thesauro defosso agitur (fr. 128, 16). Sed cum in Aulularia Strobilus philosophans ab Euclione petit, ut Lyconidi aurum permittat (fr. I cf. p. 85), aula non iam defossa est. Certe Dyscolus et Epitrepontes Aululariae exemplari similes fuerunt, sed neque unam neque alteram Plautus secutus est.[3])

Ipsum Aululariae exemplar enucleare difficile est quod et aperta testimonia desunt et Plautus exemplum satis licenter mutavit et exitus fabulae Romanae deest, fragmenta autem Menandri fabularum exceptis nuper repertis satis exilia

[1]) cf. p. 85 adn. 4. Hor. sat. II 7 Davus servus philosophatur. Horatium nonulla talibus Menandri scaenis debere probabile est.

[2]) In fine Epitrepontium paucos versus deesse apparet cf. Koe. p. XXIX.

[3]) Legrand (Rev. des ét. Grecq. XV p. 357 sqq.) propterea Geffckeni coniecturam cum sua (Plautum Aulularia expressisse Ἐπιτρέποντες) coniungit, quod Menandrum Dyscolum postea in Epitrepontes retractavisse contendit. Sed Menandri maioribus fragmentis repertis nemo Legrando adstipulabitur.

sunt. Omnibus perscrutatis mihi praeter ceteras de Θησαυρῷ huius poetae cogitandum esse videtur. Ex illa fabula tria fragmenta Stobaeo debemus. Stob. flor. 63, 14 (ed. Mein. v. II p. 371 = Men. fr. 235 Kock)

Μένανδρος Θησαυρῷ·
Εἶτ' οὐ μέγιστός ἐστι τῶν θεῶν Ἔρως,
καὶ τιμιώτατός γε τῶν πάντων πολύ;
οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἐστὶ φειδωλὸς σφόδρα
ἄνθρωπος οὐδ' οὕτως ἀκριβὴς τοὺς τρόπους,
ὃς οὐχὶ τούτῳ μερίδα τῷ θεῷ νέμει
τῆς οὐσίας. ὅσοις μὲν οὖν πράως ἔχει,
νέοις ἔτ' οὖσι τοῦτο προστάττει ποιεῖν.
οἱ δ' εἰς τὸ γῆρας ἀναβολὰς ποιούμενοι
οὗτοι προσαποτίνουσι τοῦ χρόνου τόκους.

Hos versus Lyconides exemplaris dixisse potest, qui ab opprobriis Euclionis se defendit, quod filiae eius acri amore inflammatus vim intulerit.[1]) In exeunte fortasse parte steterunt, qua Euclio postquam a Staphyla omnia audivit ex aedibus rediit. V. 8 sqq. huius fragmenti avunculi intempestivus amor tangi videtur. Ex eadem parte desumpta esse possunt fr. 237 et 238 Kock, quod eo verisimilius est, quod a Stobaeo brevi spatio intermisso citantur et iterum amorem laudibus efferunt. Stob. fl. 63, 18 (ed. Mein. v. II. p. 372)

Μένανδρος Θησαυρῷ·
πολλοῖς ὑπέκκαυμ' ἐστ' ἔρωτος μουσική

scil. Cereris vigiliis (Aul. 795), quo tempore adulescens virginem vitiavit. Stob. flor. 64, 18 (ed. Mein. v. II p. 388)

Τοῦ αὐτοῦ Θησαυρῷ·
ὅταν δ' ἐρῶντος τόλμαν ἀφέλῃς, οἴχεται,
εἰς τοὺς ἰαλέμους τε τοῦτον ἔγγραφε.

Eiusdem personae haec verba esse videntur.

Ex extrema Thesauri parte ea quoque fragmenta deprompta esse censeo, quae non a Stobaeo tradita sunt,

[1]) vel servus doctus, ut animum Euclionis flecteret, qui fortasse dixit se genero, qui filiam vitiaverit, nihil dare velle.

fr. 238 et 239 Kock. Examinemus fr. 239. Phot. lex. s. v. κάνθαρος (κάνθαρος· ποτηρίου εἶδος) κανθάρου μελάντερος. παροιμία. Μένανδρος Θησαυρῷ. Suidas haec tradit sub eadem voce: κανθάρου μελάντερος. παροιμία Μένανδρος ἐν Θησαυρῷ καὶ κανθάρου σοφώτερος ἐπὶ τῶν πονηρῶν καὶ κακοήθων. Hunc locum Bernhardy sic interpretatur: SCARABAEO NIGRIOR: proverbium apud Menandrum THESAVRO Et SCARABAEO CALLIDIOR: de improbis et malignis dictum. Bekker quoque verba Μένανδρος Θησαυρῷ ad antecedentia refert et coniunctionem „καὶ" Suidae tribuit. Uterque Photii verbis pellectus est. At in Photii quoque fonte[1]) ea verba stetisse, sed librarium omisisse conicio, quae apud Suidam verbum Θησαυρῷ sequuntur, et sic interpungendum esse: κανθάρου μελάντερος· παροιμία. Μένανδρος ἐν Θησαυρῷ·

„καὶ κανθάρου σοφώτερος"

ἐπὶ τῶν πονηρῶν καὶ κακοηθῶν i. e. Menander in Thesauro

„et sapientior scarabaeo"[2])

de aerumnosis et suspiciosis (malignis, malitiosis). Haec verba Strobilus dicere potuit, qui postquam aurum rettulit Euclioni illudens ironice obicit eum callidiorem fuisse scarabaeo, quippe qui prae animi perturbatione filiam vitiatam esse non senserit cf. Onesimi verba Epitr. 574 sq.:

παχύδερμος ἦσθα καὶ σύ, νοῦν ἔχειν δοκῶν.
οὕτως ἐτήρεις παῖδ' ἐπίγαμον;

In Euclionem perbene conveniunt verba ἐπὶ τῶν πονηρῶν καὶ κακοηθῶν.

Iniuria hoc fragmentum Philemonis Thesauri fragmentis inseruit Kock (Phil. fr. 333, C. A. F. II) nisus incerto additamento Zenob. IV 65 Milleri.[3])

[1]) Suidam non Photium excerpsisse, sed iisdem fere fontibus usum esse constat cf. Krumbacher, „Gesch. d. byz. Liter."[2] p. 565, Reitzenstein, „Der Anfang des Lexikons des Photius" p. XXXIV. Photius saepius libros, e quibus hausit, non accurate exscripsit cf. Kaibel, Soph. El. p. 141.

[2]) i. e. bestia nulla. Nos in proverbio asini exemplo utimur. κάνθαρος e stercore asini ortus esse dicitur cf. verba, quae loco citato in Suidae lexico antecedunt.

[3]) cf. Miller Mélanges de la litt. Grecque e. q. s. 1868 p. 354,

Unum fragmentum restat, quod idem Photius citat s. v. στράγγα (fr. 238 Kock) Στράγγα. Μένανδρος Θησαυρῷ·

Ἄσιτος ἑπτὰ μῆνας, ὕδατος στράγγ' ἔχων.

cf. Etym. Magn. 729, 43 sqq. s. v. στράγξ. παρὰ τὸ στάζω στάξ. καὶ πλεονασμῷ τοῦ Γ καὶ τοῦ Ρ στράγξ. ἡ γὰρ ἐπιχεθεῖσα ῥύσις ἐστί. καὶ Μένανδρος ὕδατος στράγγα ἔχων. Quae verba Euclionem dixisse conicio, postquam aurum genero donavit

„Septem menses sine cibis, aquae gutta vivens."[1])

Euclio igitur ante hos septem menses aulam auri plenam invenit neque quicquam ex illo tempore edere ausus est, quod insania eum cepit.[2]) Abhinc decem menses filia compressa est (cf. 798). Lyconides ergo tres menses virgini vim intulit, cum pater eius aulam invenit. Hoc bene cadit in Laris verba (prol. 23 sqq.), qui dicit se Euclionis filiae c o m p r e s s a e causa efficisse, ut aurum inveniretur.

Kock Meinekium aliosque secutus Menandri Thesauri fragmentis Luscii Lanuvini Thesauri argumentum iniuria praemisit (C. A. F. III p. 67).[3]) Nam e Terentii verbis Eun. 9 sq.: Idem (sc. Lusc. Lan.) Menandri Phasma nunc nuper dedit atque in Thensauro scripsit e. q. s.

non cogi potest Luscium Lanuvinum in Thesauro componenda Menandri fabulam expressisse (cf. Schanz l. c. p. 167). Θησαυρόν scripserunt praeter Menandrum Anaxandrides (C. A. F. II p. 242), Archidicus (C. A. F. III p. 276), Crates (C. A. F. I p. 136), Dioxippus (C. A. F. III p. 358), Diphilus (C. A. F. II p. 557), Philemo (C. A. F. II p. 486), qua Plautus in Trinummo usus est. In L. Lanuvini The-

Nauck Mélanges Gréco-Romains tom. III 1869/74 p. 143 „μέμνηται ταύτης Φιλήμων ἐν Θησαυρῷ". Librarius hunc locum memoriae lapsu non Menandri, sed Philemonis Thesauro tribuisse videtur, quod eo facilius fieri potuit, quod septem poetas novae comoediae Θησαυρόν scripsisse traditur (cf. p. 93). Hoc additamentum neque in Zenobii libris neque apud Diogen. V 40 invenitur.

[1]) Haec hominem in fabula dicere non potuisse iniuria A. Nauck contendit (Mél. Gréco-Rom. VI, 1894, p. 110). Sed hic locus bene traditus est omnesque Nauckii coniecturae reiciendae sunt.

[2]) cf. Aul. fr. III et IV.

[3]) Leo quoque Herm. XVIII 563 Meinekio adstipulatus est.

sauro de amore nihil agitur, ut ex Donati argumento apparet (ed. Wessner I p. 273). Hoc coniecturae eum Menandri fabulam secutum esse non favet, cum e fragmentis Thesauri Menandreae appareat illic multum de amore actum esse ut in omnibus quae adhuc innotuerunt Menandri comoediis.[1]) Immo cum L. Lanuvini Thesauri argumentum satis simile sit Trinummo Plautinae, utrumque eandem Atticam fabulam, Philemonis Thesaurum, secutum esse conicere licet.[2])

Incertam esse coniecturam meam de Thesauro Menandri Aululariae exemplo hand ignoro, at Menandream fuisse fabulam illam, quam Plautus in Aulularia expressit, pro certo habeo.

---

[1]) cf. Christ-Schmid, „Gesch. d. grch. Lit.“ II 1 [5] p. 30, Leo, Pl. F. [2] p. 140 adn. 3.

[2]) Terentius l. c. v. 10 sqq. eas praecipue Lanuvini fabulae partes vituperat, quibus a Plauti Trinummo differt. In his Lanuvinus non feliciter ab exemplari recessisse videtur, sed mutare debebat, nisi suam Plautinae fabulae aequo similiorem esse volebat.

Vita.

Natus sum Augustus Krieger a. d. VII Kalendas Decembres anni MDCCCLXXXV in fundo patris in tribu Trevirorum sito, cui est nomen Sonnhof, patre Ludovico, matre Margareta e gente Kreuscher, quos morte mihi ereptos esse doleo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Litterarum elementis per V annos Meisenheimii institutus inde ab anno MCMIII per IV annos gymnasium Imperatoris Guilelmi Trevericum frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus studiis philologicis me dedidi. Docuerunt me viri docti per sex menses Thumb (iam Argentinensis), Kalbfleisch (iam Gissensis) Maaß, Klebs, Birt, Menzer (iam Hallensis) Marburgenses; per sex menses Dieterich †, Windelband, Uhlig, Thode, Fehling, Brandt, A. Koch, Vossler, v. Domaszewski, v. Duhn Heidelbergenses; per bis sex menses Brinkmann, Marx, Nissen †, Wentscher, Elter, v. Mess (iam Tubingensis), P. Clemen, Litzmann, Solmsen †, Erdmann (iam Berolinensis), Verweyen, Enders Bonnenses; per quinquies sex menses Neumann, Reitzenstein (iam Freiburgensis, mox Gottingensis), Baeumker (iam Monacensis), Winter (iam Bonnensis), Laqueur (iam Gissensis), Keil (mox Lipsiensis), Ziegler (iam Frankofurtensis), M. Wundt, Henning, F. Schultz, Ranke (iam Gottingensis), Bresslau (iam Berolinensis), Leumann Argentinenses. Seminario philologico me admiserunt Reitzenstein et Keil, philosophico Ziegler, historico Nissen, Neumann, germanico Henning, Schultz, exercitationibus psychologicis Baeumker. Postquam examen pro facultate docendi a. MCMXII superavi, ut artem erudiendi discerem gymnasio Vesaliensi additus sum, anno post Wetzlariensi.

In hac quaestione instituenda me Reitzenstein, quamdiu Argentorati erat, iuvit. Perficiendi operis fautor integer et benevolus exstitit Alfredus Koerte Gissensis mox Freiburgensis. Quibus omnibus viris doctis gratias ago debitas, maximas Alfredo Koerte, cuius humanitatis non obliviscar.